




RICHEI VAN OMMEREN

CARMINA ET ORATIO.

RICHEI VAN OMMEREN

CARMINA ET ORATIO,

QUA GYMNASII AMSTELODAMENSIS MODERAMEN AUSPICATUS EST:

ACCEDUNT NONNULLA CARMINA 996

SICCONIS VAN OMMEREN.

EDIDIT AC PRAEFATUS EST

MATTHIAS SIEGENBEEK,

ORDINI EQUESTRI LEONIS BELGICI, ATQUE INSTITUTO REGIO BELGICO ADSCRIPTUS, ET HISTORIAE AC LITERARUM BELGICARUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROF. ORD.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXXVII.

PRAECEPTORIS OPTIMI,

RICHEI VAN OMMEREN

MANIBUS

S.

OMMERII *Manes, sancti mihi Numinis instar,*
(Nempe adolescenti tu mihi Numen eras)
Si quid in Elysia tangunt te valle receptum,
Gaudia quae nobis tristitiamve ferunt,
Accipite haec, gratus praebet quae dona magistro
Discipulus, mentis pignora parva piae.
Si foret ingenii pietati par mihi virtus,
Utque tibi, Aonidum vellet adesse chorus,
Nomen ad extremos ferret mea Musa nepotes,
Quam late Phoebo redditur ullus honor.
Sed quod ego eloquii suada, nec carmine possum,
Ingenii efficient haec monumenta tui;
Ingenii monumenta, Deorum munere summos
Aequantis vates, grata domus Charisin,
Attica quos tellus, pacatae aut frena tenente
Augusto terrae, Martia Roma tulit.

 Cog-

Cognita non multis haec dum dispersa latebant,
Me pietas jussit, ossa ut ademta rogo,
Undique lecta velut tabula proponere in una,
Quae doctis pateat splendida luminibus.
Hinc tua se latum diffundet fama per orbem,
Sordet ubi haud penitus nobilis artis honor.
Nec tamen haec mentem poterit mulcere beatam
Gloria, mortales inter adaucta choros.
Scilicet in Superûm dudum jam sede receptum,
Queis ferimus miseri lucida ad astra caput,
Nil te nugarum tangit. Nos pascimur umbra,
Nos fumo: vera est gloria parta tibi,
Gloria, quae, nullis unquam delebilis annis,
Defluit a laudis fonte perenne, Deo.
Quotquot at in terris nomen, coeli Incola felix,
Prosequimur grata mente piaque tuum,
Nos hilares cuncti fama laetabimur aucta,
Nostrumque, accedet quod tibi laudis, erit.
Tu modo dona, tibi pietas quae nostra ferebat,
Ne sperne: hoc solum est, quod meus optat amor.



VIRO

VIRO CLARISSIMO,

AMICO INTEGERRIMO,

DAVIDI JACOBO VAN LENNEP

S. P. D.

MATTHIAS SIEGENBEEK.

Cum plurima sunt, LENNEPI optime, quae initam a prima inde adolescentia inter nos amicitiam perpetuo aluerunt, tum etiam suavissima communis praeceptoris OMMERENI recordatio. Plurimum te huic viro debere gratus semper professus es; longe plura tamen me illi accepta referre lubens profiteor. Erat tibi pater, literis egregie excultus, elegantis ingenii vir et poëtica facultate haud mediocriter instructus; erant paterni amici, viri omni doctrinae genere excellentes, DANIEL HOOFTIUS, HIERONYMUS BOSSCHIUS, multi alii, quos omnes recensere haud necesse est. Longe alia, ut nosti, mea erat conditio. Habebam eos quidem parentes, quibus probiores, meliores et in filios pro facultatum modo liberaliores a Deo immortali votis petere nequaquam potuissem; verum neque illi in re lauta erant positi, et pater, etsi a literis haudquaquam alienus, tamen doctarum, quae dicuntur,

 lin-

linguarum plane erat rudis; et paucissimi erant amici, qui hoc domesticum incommodum sua admonitione possent compensare. Itaque, anteaquam in OMMERENI disciplinam delatus fui, haud improbabiles quidem in linguae praecipue Latinae scientia feci progressus, ita ut in verbis Belgice reddendis haud magnopere haererem, et Grammatices regulas satis tenerem; verum ad auctorum sensus fere frigebam, et ad poëticas delicias percipiendas plane insipiens erat palatum. Memini me in tertia, quae dicitur, classe ex Ovidii Tristibus pulcherrimam illam Elegiam, qua suum ex urbe abitum deplorat, mea ratione in patrium sermonem convertisse, et sua ratione, i. e. insulsa plane ac ridicula, qui tunc in illa classe erat, notum et tibi praeceptorem eam explicantem audivisse; et ex hac conversione atque explicatione illud de Ovidio judicium tulisse, ut illum ineptum plane versificatorem fuisse existimarem. In OMMERENI igitur disciplinam veni, verborum quidem eorumque significationis nec non Grammatices praeceptorum scientia probabiliter instructus; sed ad poëticae atque oratoriae elegantiae sensum omnino hebes. At vix unum alterumve mensem in hujus incomparabilis viri schola versatus eram, quum nova plane, et quam obtusi hactenus oculi ne levissime quidem introspexerant, menti lux oborta est. Jam magis magisque et Horatii divinum fervorem, et Virgilii augustam majestatem, et doctam Propertii elegantiam,

et-

et amabilem Tibulli suavitatem, et ingeniosam Ovidianae venae fertilitatem perspicere ac persentire incipiebam, et copiosam quoque Tullianae eloquentiae ubertatem et pressiorem Livii elegantiam admirari discebam. Ipsius ductu et ligatae et solutae orationis scriptiunculis ingenium exercebam; et post unius anni, omnium, quotquot postea in bonis literis addiscendis transegi, fructuosissimi, spatium jam eos in pangendis carminibus feceram progressus, ut schola discedens ligato sermone orationem conscriberem, in qua pauca, vel nihil emendaret optimus praeceptor. Igitur, si quid postea in literis profecerim, neque honorifica, in qua nunc positus sum, statione plane indignus censear, illud omne OMMERENO gratus acceptum refero. Sunt haec profecto magna; sed alia quoque ipsi debeo beneficia, haud minoris pretii aestimanda. Ipso enim praecipue conciliatore, tibi, vir optime et praestantissime, adolescens adolescenti amicitia junctus sum; HIERONYMO BOSSCHIO, viro literarum Graecarum et Latinarum peritissimo, poëtae egregio et, quod majus est, morum suavitate, animi integritate, candore et probitate inter paucos excellentissimo commendatus fui; patri quoque tuo, Musarum patrono cultissimo, ingenio, virtute et civili prudentia spectatissimo, haud inacceptus fui. Eodem conciliante viro, ad fratrum VRIESIORUM, virorum optimorum, elegantissimorum, tibique, ut mihi, amicissimorum quotidianam consuetudinem admissus sum,

RICHEI VAN OMMEREN

CARMINA ET ORATIO.

RICHEI VAN OMMEREN

CARMINA ET ORATIO,

QUA GYMNASII AMSTELODAMENSIS
MODERAMEN AUSPICATUS EST:

ACCEDUNT NONNULLA CARMINA 996

SICCONIS VAN OMMEREN.

EDIDIT AC PRAEFATUS EST

MATTHIAS SIEGENBEEK,

ORDINI EQUESTRI LEONIS BELGICI, ATQUE INSTITUTO REGIO BELGICO ADSCRIPTUS, ET HISTORIAE AC LITERARUM BELGICARUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROF. ORD.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXXVII.

NARRATIO

DE VITA

RICHEI VAN OMMEREN.

NARRATIO

DE VITA

RICHEI VAN OMMEREN.

Natus est RICHEUS OMMERENUS Leovardiae, Frisiae metropoli, die 12 Decembris anni MDCCLVII, parentibus non quidem illustribus, sed probis et honestis, quique liberorum institutioni satis liberaliter prospicere et possent, et vellent. Vix septem annos natus, jam satis idoneus videbatur, qui ad linguam Latinam addiscendam in Gymnasium, quod in patria urbe florebat, deduceretur. Primo tamen tempore (nescio qua de causa) scholastica haec institutio tantopere illi displicebat, ut saepius cum lacrymis parentes obsecraret, ne ipsi duram Latinae linguae, a qua abhorrebat, addiscendae necessitatem imponerent. Prudenti autem consilio hi puerilis ingenii levitati minime obsequendum, verum eam potius constantia corrigendam esse censuerunt; cujus constantiae postea fructus suavissimos, et a sapientiore filio sinceras gratias tulerunt. Etenim, sensim sensimque odio in amorem converso, insignes in Latinis Graecisque literis fecit progressus, praecipue postquam in disciplinam venerat

sat VALENTINI SLOTHOUWERI, qui Gymnasio Leovardiensi tunc magna cum laude praeërat, idque deinceps, per plurimos annos, ad extremam usque senectutem, quae ipsi laeta et viridis admodum obtigit, haud minori cum gloria administravit. Hic scilicet literarum antiquarum non tantum scientia haud mediocri erat instructus, verum inprimis etiam valebat arte, juveniles animos flagranti illarum amore imbuendi, juvenilia ingenia ad magna quaevis et praeclara formandi atque excitandi; unde factum est, ut ex illius disciplina, praeter OMMERENUM, permulti profecti fuerint adolescentes, qui literis postea magnum attulerunt ornamentum. In Academiam mox Franequeranam delato haud minor OMMERENO obtigit felicitas. Florebat scilicet, tunc temporis, in illa Academia exquisitae vir doctrinae, idemque Latinae poëseos facultate excellens, JOANNES SCHRADERUS. Hic bonarum literarum, Musarum inprimis Latinarum ardentissimum, quo ipse flagrabat, amorem juvenum animis instillare praeclare noverat, et qui ingenii bonitate et diligentia prae caeteris se commendarent, discipulos singulari studio ac benevolentia complectebatur. In horum numero quum OMMERENUS etiam ab illo haberetur, facile intelligitur, quantos et quam eximios ex talis tantique praeceptoris disciplina et familiari consuetudine tulerit fructus. Multum quoque debuit cum aliorum, quibus in Academia Franequerana usus est, praeceptorum, tum Cl. inprimis

mis WASSENBERGII, Graecas literas jam tunc magna cum laude docentis, institutioni, illisque etiam, propter diligentiam, ingenii felicitatem et amabilem morum suavitatem, quam maxime fuit acceptus. Caeteris, quibus Academia Franequerana tunc abundabat, commodis etiam illud accedebat, quod magna illi aderat eximiorum juvenum copia; qui pari, atque OMMERENUS, bonarum literarum et Latinae poëseos studio ardebant. Horum atque inprimis (ut reliquos brevitatis gratia omittam) HERMANNI BOSSCHAE et JOANNIS ADAMI NODELLI, qui ambo postea clarum in literis nomen obtinuerunt, ad incitandum studii ardorem, ingenii vim acuendam et poëticam praecipue facultatem augendam magnopere ipsi profuerunt consortium et familiaritas. Hac ratione quum ad excolendas egregias, quibus a natura ornatus erat, ingenii animique dotes omnia, velut aurae secundae, feliciter conspirarent, non est profecto quod miremur, OMMERENUM ex illustri, in qua versatus fuit, bonarum literarum palaestra ita instructum paratumque prodiisse, ut doctoris publici personam magna cum laude posset sustinere. Antequam vero Academia abiret, anno 1778 parvae molis, sed magni pretii edidit syllogen poëticam, *Sylviae, sive Lusuum juvenilium* nomine inscriptam. Habent quinque, quas haec sylloge complectitur erotici argumenti elegiae; praeter tersi elegantisque sermonis castitatem, multum suavitatis et te-

neri affectus, atque ingenium spirant vere Tibullianum.

Eodem fere tempore praeceptoris in Gymnasio Zwollano, cui tunc praeërat doctus vir et poëta haud ignobilis JACOBUS PHILIPPUS DE MEDENBACH WAKKER, ipsi delatum fuit munus; quod per duos circiter annos, in magnum discipulorum emolumentum, feliciter gessit. Anno MDCCLXXX primum Documensis in Frisia, et dein, post exactos vixdum in hac civitate tres menses, Amisfurtensis Gymnasii illi mandatum fuit moderamen. Hanc provinciam ejusdem anni mense Decembri suscepit recitato publice carmine elegiaco *de immensa damnorum et miseriarum serie, quae ex juventute in otio et voluptate transacta proveniunt*; quod, una cum prologo atque epilogo, soluto sermone conscriptis, *Orationis* nomine mox fuit editum, et, cum propter poëticae facultatis praestantiam, in illo conspicuam, tum propter nobiles virtutis patriaeque amantis animi, quos spirat, sensus, omnium idoneorum judicum applausum tulit. Magnam, quam de illo conceperant Amisfurtenses, spem cumulate explevit OMMERENUS, utpote ex cujus institutione in adolescentes, ipsius curae commissos, fructus redundabant plane egregii. Etenim, non contentus ad accuratam Latinae Graccaeque linguae cognitionem illis viam monstrare, auctorum illis verba et sententias explicando aperire, id inprimis agebat, ut

tet in teneris animis pulchri honestique sensum excitaret, eosque ad virtutem et quaevis honesta et praeclara inflammaret. Itaque civibus suis quam maxime erat acceptus, et eorum inprimis, qui ipsi literas amabant et colebant; quorumque tunc Amisfurti et in ejus vicinia satis magna copia erat, benevolentia atque amicitia insigniter florebat. His externis bonis quum accederet domestica felicitas, ex recens contracto cum lectissima virgine, IDA SANTINCK, matrimonio orta, non est profecto quod miremur, hilares eum hac in statione exegisse dies. Amisfurti degentem illum, felicem etiam Musis navasse operam documento sunt duo carmina, alterum Elegia consolatoria ad amicum suavissimum HERMANNUM BOSSCHAM, uxoris obitum lugentem, quae, una cum hujus ad OMMERENUM de illo obitu Elegia, anno 1782 fuit edita; alterum Epicedium, dicatum memoriae optimi praeceptoris JOANNIS SCHRADERI, quod, cum aliis in hunc virum epicediis, habitae a se atque anno 1784 in lucem emissae illius *Laudationi funebri* subjunxit Cl. WASSENBERGIUS. Lyricum hoc carmen, quo Horatium, inter paucos ex recentioribus, felicissime aemulatus fuit OMMERENUS, vel ideo erat commemorandum, quoniam HIERONYMI BOSSCHII, poëtae et literatoris celeberrimi, illi amicitiam conciliavit; cujus amicitiae primus fuit fructus delatum ipsi Amstelodamensis Gymnasii moderamen. Hic scilicet egre-

gins literarum cultor fautorque, ut, perlata ad se amici WASSENBERGII *Laudatione funebri Schraderi*, inter subjuncta illi Epicedia in OMMERENI carmen incidit, singulari ejus praestantia tantopere fuit captus et commotus, ut auctorem, antea sibi incognitum, in oculis ferret et summa benevolentia complecteretur. Itaque statim ad illum literas mittit, quibus perceptam ex lecto carmine voluptatem significat, operamque illi suam, si qua forte augendae fortunae se offerat opportunitas, humanis admodum verbis pollicetur. Paucos post dies vivis eripitur DOUZY, Gymnasii Amstelodamensis Rector. Jam BOSSCHIUS, in quo (quod fervidis ingeniis non semper solet esse proprium) magna erat fidei constantia, nulla interjecta mora, civitatis Consulem eundemque Gymnasii Curatorem, EGBERTUM DE VRY TEMMINCK, insignis gravitatis et auctoritatis virum, adit. Hic Gymnasii, cujus ipsi vero Maecenatis nomine appellando, magnopere cordi erat decus, DOUZYI luce orbati vicem dolens, BOSSCHIUM rogat, an quemquam nosset, qui vacuae provinciae ornandae aptus esset. Ille OMMERENUM Consuli commendat, rogantique, quis hic esset vir et quid in eo laudandum, respondet, edito pulchro carmine Latino eum sibi innotuisse, caeterum nihil de illo scire, nisi quod scholae Amisfurtensi praeësset. Tum leniter arridens TEMMINCKIUS: » Habet sane, inquit,

quit, quod praedicas, carmen commendationem haud improbabilem; tu tamen fac, ut plura mihi de hoc viro referre possis." Jam, quum quae ab idoneis fideque dignis testibus de OMMERENO relata essent, honorificum BOSSCHII praejudicium confirmarent, TEMMINCKII auctoritate factum est, ut ad Gymnasii Amstelodamensis moderamen capessendum evocaretur. Dici vix potest, quantopere hujus rei nuncius Amisfurtenses afflixerit. Itaque, ut virum carissimum, civemque utilissimum, quem eodem tempore Roterodamenses quoque suo Gymnasio praeficere cupiebant, sibi suisque vindicarent, duplicato fere stipendio, Professoris illum titulo condecorare, atque in Magistratuum ordinem cooptare voluerunt civitatis ac Gymnasii moderatores. Etsi autem haec gratum piumque OMMERENI animum vehementer commoverent, et a dilectis sibi Amisfurtensibus, quorum in civitate optima vitae gaudia perceperat, difficulter admodum se avelli pateretur, vicerunt tamen et Amstelodamensis stationis, honorifice et praeter exspectationem ipsi oblatae, luculenta commoda, et singularis BOSSCHII humanitas atque in ignotum sibi antea virum benevolentia, et vero (quod unum omnium maxime apud eum valuit) cogitatio, se in amplissima et celeberrima urbe, instituenda juventute longe majorem reipublicae afferre posse utilitatem. Itaque Amstelodamum profectus est, ibique die 26 Martii anni

 MDCCLXXXV

MDCCLXXXV munus auspicatus est habita egregia illa *de prudenti veterum poëtarum lectione virtutis altrice*, oratione, qua praeclaram de se conceptam spem haud parum confirmavit.

Jam ad illud perveni tempus, quo OMMERENUS mihi coepit innotescere. Etenim tertio, postquam provinciam adierat, anno, in illius delatus sum disciplinam; et ex illa, qua per anni tempus uti mihi licuit, quemadmodum jam in praefixa ad LENNEPIUM, V. Cl. epistola significavi, fructus tuli suavissimos atque uberrimos. Eximia mihi quoque contigit felicitas, ut me inter dilectos sibi discipulos retulerit, adeoque me, in Athenaeo Amstelodamensi studiis operam navantem, ad peractum studiorum meorum cursum, i. e. ad suam fere mortem, familiariter semper receperit, et praeceptis atque admonitionibus egregie adjuverit. Itaque hac opportunitate de illius instituendae juventutis ratione, de eximiis illius in rempublicam literariam meritis, atque universe de illius ingenio ac moribus paulo fusius mihi dicendum esse existimo.

Hactenus in Gymnasiis omne fere tempus docendae linguae praecipue Latinae tribuebatur; Graecae linguae prima tantum elementa tradebantur, mythologiae, historiae, geographiae parum vel nihil operae dabatur. Erant praeterea Gymnasia in sex classes distributa, in quibus singulis totum anni spatium transigere debebant discipuli, adeo ut scho-

las-

lasticus cursus non paucioribus quam sex annis absolveretur. Haec omnia, OMMERENO Gymnasii Amstelodamensis moderamen capessente, quantum in illo erat, immutata atque emendata sunt. Ratio scholastici cursus ita fuit instituta, ut felicioris ingenii et probabilis industriae adolescentes illum quatuor annis possent conficere. Major etiam Graecis literis data fuit opera; mythologiae vero, historiae et geographiae studium non amplius neglectum jacebat. Valuit hoc inprimis (nam ex reliquis praeceptoribus plurimi veteris adhuc rationis sordibus adhaerebant) de OMMERENI disciplina, cujus ea erat *praestantia*, ut, praeter accuratam linguae cognitionem, etiam rerum utilissimarum scientia imbuerentur juvenilia ingenia, et ad quaevis praeclara ac laudabilia quam maxime incitarentur. Erat autem OMMERENI disciplinae hoc peculiare, ut Poëseos tanquam fomento, nutrimento atque incitamento uteretur ad alenda, instiganda ac confirmanda juvenum ingenia. Ita enim sibi persuaserat sagacissimus humanae et juvenilis inprimis naturae observator, ea aetate, qua ipsius disciplinae tradi solebant adolescentes, in iis praecipue vigere imaginandi vim, adeoque poëtarum deliciis illorum animos maxime commoveri ac delectari. Igitur poëtarum lectione bonarum literarum studium in illis potissimum excitari, et poëticae facultatis exercitiis ingenia formari posse existimabat. Neque tamen

omnibus versus pangendi aliquam quasi necessitatem imponebat. Contra, si in quoquam discipulo ingenium, ad poësin minus comparatum, sibi deprehendere videretur (erat autem in his rebus discernendis incredibilis perspicacitatis vir) illum ab ea excolenda etiam deterrere solebat. Sic memini fuisse inter commilitones optimi ingenii adolescentem, sed ad poëticam suavitatem percipiendam hebetiorem. Hic bis tantum vel ter in schola OMMERENA versus confecit, quum eximius praeceptor, ejus perspecto ingenio, ad illum diceret: » Nulla est causa, cur omnes, invita etiam natura, poëtae vel versificatoris fiant; tu, si me monitorem sequi velis, in posterum unice prosae scriptioni operam da", Huic admonitioni lubens obsecutus adolescens, nunc vir in republica summis muneribus ornatus, ab eo inde tempore nulla alia, nisi prosae orationis, specimina OMMERENO exhibuit. Nos reliqui discipuli, quorum ingenium a poësi non plane abhorrebat, suo quisque modo carmina pangebamus; neque tamen, monente optimo praeceptore, prosam scriptionem plane negligebamus. Memini me cum eodem, de quo supra dixi, commilitone de Alexandro Magno certamen iniisse, dum ille *magni* nomine illum indignum fuisse contenderet, ego contra illius causam agerem. Mirifice hoc certamine delectabatur OMMERENUS, nosque ad ejusmodi ingenii exercitia instituenda quam maxime horta-

tabatur. Ipse in schola et in privatis institutionibus non tantum optimos aevi Augusti poëtas ita nobis interpretabatur, ut cum verba et auctorum mentem, tum poëticarum imaginum vim ac praestantiam intelligeremus et persentiremus, verum etiam Ciceronis Orationes et Livii historiarum partem ita nobis explicando aperiebat, ut ex illa quoque explicatione insignem et utilitatis et voluptatis fructum perciperemus. Aderant tabulae Geographicae, in quibus loca, in auctoribus obvia, notabantur; antiquitatis Romanae ea capita, quae ad illorum intellectum necessaria essent, nobis tradebat, reipublicae Romanae conformationem et illius historiae eas partes, quae intellectum possent adjuvare, dilucide et eleganter nobis exponebat. Nos attentis oculis, auribusque praeceptorem intuebamur, et singula ejus verba excipiebamus; jamque scholasticae vel privatae institutioni destinatum tempus effluxerat, quum nos vix initium illud sumsisse credebamus.

Quod dixi, cum de reliquis scriptoribus Latinis, tum praecipue de Horatio valet, in quo interpretando tanta erat OMMERENI disciplinae excellentia, ut vehementer dubitem, an quis alius interpres in illo explicando unquam felicius fuerit versatus. Ipse enim, qui unus omnium, quotquot ex recentioribus lyricam poësin tractarunt, ad Horatii praestantiam, me judice, proxime accessit, illo mentis et

ingenii quasi connubio ita ejus sublimitatem assequebatur, ut etiam in illis Odis, in quibus longissime a proposito sibi argumento aberrare videtur poëta, illo interprete, lucidus ordo et aptus nexus appareret. Sed de ratione, qua in explicando Horatio versatus fuit OMMERENUS, quo minus plura dicam, faciunt aureae vere de hoc poëta *Orationes* duae Belgico sermone conscriptae, quas, una cum doctissimis et bonae frugis plenissimis annotationibus, anno MDCCLXXXIX, in lucem publicam emisit.

En rationem disciplinae Ommerenianae, pro virium modo, explicitam. Si quis tamen ex hac explicatione illius rationis praestantiam assequi se posse existimet, egregie profecto fallitur. Illud uno ore mecum fatebuntur omnes, quotquot ejus institutione usi sunt, me illius praestantiae levem tantum atque imperfectam imaginem adumbrasse. Ipsam rei veritatem nemo facile assequetur, nisi qui ipse OMMERENUM audiverit, cujus ab ore dulcior melle fluebat verborum rivus. Saepius recordor, et semper recordari in deliciis mihi erit vespertinas illas sessiones, quum, jam in Illustri Athenaeo Amstelodamensi studiis operam dans, una cum commilitonibus LENNEPIO, BRINKIO, VRIESIIS fratribus, KEMPERO, aliis, ad focum ab illo excipiebar, saepius ad mediam fere noctem sermones protrahebam, vel potius protrahentem tacitus admirabar.

Erant

Erant hi sermones fere vel de studiorum ratione recte instituenda, vel de insigni aliquo ex Graeca vel Romana historia loco, vel etiam ad patriae ac libertatis amorem animis nostris instillandum comparati. Nos pauca subinde verba interjiciebamus, caeterum illum narrantem, ratiocinantem, philosophantem vel etiam fervore quodam poëtico canentem, attenti suspiciebamus, venerabamur, aliquam quasi divinitatem in illo admirandi agnoscebamus; et de nulla alia re dolebamus, nisi incredibili celeritate horas tot pretiosas nobis praeteriisse. Ne quis putet me, juvenili quadam effervescentiá abreptum, rei veritatem verbis exaggerasse, hic KANTELARII, qui OMMERENI aequalis, multisque in rebus ipsi par fuit, et ab illo fraterno amore diligebatur, de illo testimonium referam. Hunc enim virum, quem amicum mihi contigisse semper gaudebo, narrantem audivi, se in vespertinis cum OMMERENO congressibus eum de rebus gravissimis disserentem saepius ita admiratum fuisse, ut, post illius discessum, matri et sorori (cum his enim viduus tunc habitabat) cum lacrymis diceret: quis ego sum homunculus, cum hoc viro collatus! Jam ex hoc dicto ejus viri, quem Academia discedentem summi viri VALCKENARIUS et RUHNKENIUS honorificis admodum testimoniis ornaverant, quique postea literas diligenter excolere perrexerat, colligere licet,

qua-

qualis, quantusque vir fuerit OMMERENUS. Memini LUZACIUM, virum celeberrimum, multisque nominibus mihi colendum, cum de OMMERENO inter nos sermo esset, mihi dixisse, se hunc virum tanti semper fecisse, ut neminem digniorem judicasset, qui, si RUHNKENIO, illo natu longe majori, humani quidquam accidisset, tanto viro in docenda eloquentia et historia successor daretur. Et profecto, si Deo O. M. visum fuisset, OMMERENI vitam ad senectutem usque protrahere, non inter primos fuisset HEERENIUS, vir cl., qui historiae philosophice tradendae exemplum dedisset. Pauca supersunt monumenta in Orationibus Belgicis *de vita Viglii ab Ayta Zuichemii, deque triginta tyrannis eorumque Athenis expulsione*, editae in Syllogis literariis, quibus *Mnemosynes* et *Bibliothecae Literarum Antiquarum* nomen est, luculenter demonstrantia, quantum in historia valeret OMMERENUS. Verum aliter placuit summo rerum omnium Arbitro, qui illum terris et inprimis Amstelodamensi civitati per breve tantum tempus concessit. Erat scilicet OMMERENO corpus, cujus vires animi viribus minime pares essent: statura erat procera, et quae dignitatem haberet; sed corporis habitus atque oris forma erat gracilis, satisque declarabat, nihil minus quam Herculeum ipsi adesse robur. Fibrarum et nervorum systema admodum erat irritabile; et magna in illo erat procli-

clivitas ad eum morbum, qui μελαγχολια vulgo dicitur. Hinc saepius fiebat, ut vel aër solito humidior, vel flatus venti asperior corpus magnopere afficeret et, ut est perarcta et hac in vita nulla arte explicabilis corporis animique societas, etiam animum commoveret ac perturbaret. Nil igitur mirum non aequabilem semper mentis fuisse conditionem, et multa saepius fuisse, quae corporis animique infirmitati condonanda haberent domestici, familiares ac discipuli. Sed quis haec non libenter condonabat ei viro, in quo tot et tanta erant, quae benevolentiam conciliarent, amorem atque admirationem excitarent? Erat ipsi uxor, quam, ut tres filios, ex illa susceptos, sincere ac tenere amabat, multis illa bonae conjugis et matrisfamilias dotibus ornata, sed eadem loquax et mentis acumine marito nequaquam par. Hinc nonnunquam fiebat, ut non ea esset inter conjuges concordia, quae in felici matrimonio esse solet. Haec, anno 1794 exeunte, praematuro puerperio, una cum infante filia, inproviso fato ipsi erepta fuit. Jam, quae diu languerant, corporis vires hoc inopinato casu adeo fuerunt fractae ac perculsae, ut pristinum vigorem recuperare nequaquam possent. Anni tamen 1795 initio, haud diu post mutatam per Francorum invasionem reipublicae faciem, et instauratam, ut multi boni prudentesque viri atque inter eos OMMERENUS si-

sibi persuasum habebant, libertatem publicam, occasione promotionis scholasticae, orationem habuit Belgicam, eloquentissime scriptam et ad praesentem rerum conditionem accommodatam; quae typis mox expressa nunc etiam perdigna est, quae legatur. Sed ab hoc tempore adeo decreverunt corporis vires, ut jam ante ejus, quem dixi, anni exitum Rectoris se munere abdicare necesse haberet. Honorifico sibi otio concesso, ut rusticae vitae semper fuerat amantissimus, in suburbano prope Harlemum descrescentes continuo vires aliquatenus recreare sperabat, et rebus coelestibus ac religiosis contemplandis, prae quibus jam omnia terrestria ipsi sordebant, reliquum vitae tempus transigere sibi proponebat. Sed aliter placuit Deo O. M., qui illum jam die 6 Januarii anni 1796, ex hac terrena faece solutum, beatorum choris, ut pie confidimus, inseruit.

Hunc vitae finem, aetatis anno trigesimo nono nondum expleto, habuit OMMERENUS, quem, ut NIEUWLANDIUM, RAVIUM, BORGERUM aliosque eximios viros, terris tantum ostendere voluisse divina videtur Providentia. Etsi autem hac etiam in re supremi rerum omnium Moderatoris sapientiam nobis homuncionibus non reprehendendam, verum adorandam esse facile largiamur, hoc tamen non eo valere censemus, ut humani generis haud dolea-

leamus vicem, cui splendidissima saepius lumina, fulguris in modum, citissime eripiuntur. Inter ea autem, quae OMMERENUS, si longior ipsi vita obtigisset, sibi elaboranda proposuerat, praecipuum est epicum Valerii Flacci poëma, *Argonautica* inscriptum, ad quod emendandum atque illustrandum jam multa congesserat. Haec vero omnia, quantum ego quidem investigare potui, erudito orbi videntur interiisse. Caeterum moriens tres reliquit filios, quorum natu maximus SICCO OMMERENUS, anno MDCCLXXXII Amisfurti natus, patris ad exemplum, bonis literis sedulam ac felicem navavit operam, et poëticae, qua excellebat pater, facultatis quasi heres fuit. Ut aliis in rebus, ita etiam hac in re patri fuit similis, ut vix viginti quinque annos natus anno MDCCCVIII Zwollae, cujus Gymnasii Rector erat, immatura morte obierit, relictis florentis aetatis vidua, atque unico filio, qui, longe a patrio solo remotus, jam utriusque parentis obitum acerbe luget. Hujus cum aliqua carmina Latina mecum essent communicata, perdigna illa existimavi, quae patris carminibus adjungerentur. Quod vero exinde huic editioni ornamenti accessit, hoc praecipue debetur humanitati Cl. Viri A. GOUDOEVERI, qui, antequam cathedrae, quam nunc in Academia Rheno-Trajectina magna cum laude tenet, admotus esset, SICCONIS OMMERENI in Gymnasii Zwollani moderamine succes-

sor

sor fuit. Ejusdem viri amicitia ad meam quoque notitiam pervenit SICCONIS carmen Belgicum, anno 1801 Zwollae typis vulgatum, quo pacem, illo anno inter Rempublicam Francicam, Germaniae Caesarem atque imperium Germanicum Lunaevillae sancitam, ita celebravit, ut ad poësin Belgicam, haud minus quam Latinam, factus fuisse mihi videatur.



P.

P. HOFMANNI PEERLKAMPII V. CL.

DE

RICHEO OMMERENO

JUDICIUM (*).

Et hic prodiit e schola Schraderiana, quo eum intrantem felix ingenium, capax elegantis doctrinae indoles, et summa discendi cupiditas comitabantur. Schraderus, istam nactus virtutem, incitavit, ut Jupiter olim ὤτρυνε Πάρος μεμαυῖαν Ἀθήνην. Qui igitur tam bene didicerat, mature docere potuit. Anno 1780 Scholae Amisfurtanae praefectus, orationem habuit *de immensa damnorum ac miseriarum serie, quae ex juventute in otio et voluptate transacta proveniunt.* Hujus orationis exordium et finis soluto sermone composita sunt; rei ipsius argumentum ligato. Duplici oratoris et poëtae persona in uno eodemque actu saepius prodibant homines eruditi eorum temporum.

(*) Exstat hoc judicium in Disputatione, qua *vita Belgarum qui Latina carmina scripserunt* exponitur, inserta *Commentariis Academiae Bruxellensis*, anno 1822 editis, pag. 489—493.

***

rum. Sed ab ea ratione deinde melius abstinuerunt, et ipse Ommerenus. Nam anno 1785, Amstelodamum vocatus, novum munus auspicatus est oratione, non inmixtis versibus, *De prudenti veterum poëtarum lectione, optima virtutis altrice.* In hac ille poëtarum lectione discipulis continuo suis ita praeivit, ut omnes, qui eum habuere cognitum, uno ore testentur, discipulos Ommereni Poëtices amore et simul omnis elegantiae et virtutis solere capi, cujus rei utilitas quam late in Hollandia patuerit, exemplis doceri. Nec vero ullum Ommereni scriptum perlegi, quin vestigiis liberalis et venustae doctrinae esset notatum. Mira profecto est Horatii urbanitas. Possis hanc magis sentire, quam describere. Sed tertium, quod relinquitur, eam scilicet urbanitatem imitari, Ommerenus ita assecutus est, ut de urbanissimo poëta omnium urbanissime scripsisse videatur. Laudo eorum voluntatem, qui ἀστεισμὸν ad praeceptorum regularumque formulas redegerint; sed hos magis amo, qui per universam orationem ἀστεισμὸν aequabiliter disperserint, tanquam mentem Anaxagorae,

— quae varios diffusa per artus,
Molem agitat.

Ommerenus etiam, in Academia Franequerana morans, edidit lusum juvenilem, *Sylviam* nominatum, anno 1778, cujus Elegiam primam legenti statim cogitatio subit adolescentis, qui jam studiorum suorum

rum modum habet. De Ferdinando Furstenbergio canit pag. 7.

Carmina divino dum Fürstenbergius ore
 Umbrosae caneret collibus Angariae,
Saepius innocuo Dryades modulamine captae
 Cum Satyris laetos instituere choros.
O! quoties, illo tremulas recinente sub umbras,
 Balatu metuit rumpere carmen ovis!

Conf. Tibullus II. 3, 19.

O! quoties ausae, caneret dum valle sub alta,
 Rumpere mugitu carmina docta boves!

Elegia tertia, in conspectum arcus triumphalis, anno 1777 Leovardiae exstructi, digna est ingenio et amoenitate Jani Secundi, qui se hanc composuisse vellet. Arcus ipse eleganti pictura erat variatus, pag. 16

Cernitur hic mater dulci circumdata prole.
 Quantus materno candor in ore micat!
Fallimur? an teneri pendent circum oscula nati?
 Matris et amplexus turba pusilla petit?
Quid cessas, mater? tibi parvula brachia tendunt,
 Uda natant moestis lumina lacrymulis.
Quid cessas? dextra lacrymantia lumina terge,
 Fige, precor, madidis, oscula fige genis.

His ego saepe lectis cogitabam: Hic tam adolescens, tanta verborum et sententiarum gratia! Quid? si ingenium fiat maturius! Neque ego hac spe decidi. Crevit enim Ommereni facultas cum aeta-

te, quam si longiorem nactus fuisset, principibus poëtis victoria per eum stetisset dubia. Audio fuisse qui Ommereni opuscula conjuncta in lucem edere voluerint. Sed hoc consilium eventu caruit. Quod ut valde dolemus, ita speramus, fore ut carmina saltem ejus Latina in unum fasciculum collecta evulgentur. Pauca *Delitiis* suis ornamento esse voluit Kootenius. Multa etiam sparsa huc illuc volitant, tanquam Sibyllae folia,

. . . . verso tenuis quum cardine ventus
Impulit, et tenues turbavit janua frondes.

In his Elegia, Schultensio mortuo sacra, testimonio sit, quanta gravitate juvenilem illam amoenitatem ornare didicerit. Schultensius tabe, ut videtur, quotidie periens, frustra sibi salutem speravit ah aëris salubritate.

Vos, Zephyri molles, placidique silentia ruris,
Speratam moriens unde petebat opem,
Vos decuit misero longaevam adferre salutem,
Languidaque afflatu membra levare novo.
Vos decuit curas recreare salubribus auris,
Fletibus et madidas exhilarare genas.
Dicite vos Dryades (nam vos memorare potestis,
Quae moriens vestro condidit ipse sinu)
Dicite quae tremulo suspiria fudit ab ore,
Votaque quae linguae deficientis erant.

Constantiam morientis verbis lectissimis laudat.

Quem juvat, augustos regum miretur honores,
Quis venit humano sanguine partus honor;

Quem

Quem juvat, heroi stupeat monumenta furoris,
Pectoraque adversis obsita vulneribus.
Scilicet his litui canor et furialis Enyo,
Et rabidus famae corda perurit amor.
At dulces telluris opes, sobolemque, torumque
Qui videt, et summum firmus adesse diem,
Heroum hic titulis et regum divite fastu.
Altior, in terris hic mihi Numen erit.

Habent diversa carminum genera suas quaeque Veneres, elegantias et proprium aliquid, quod in uno est decorum, in altero alienum. Cujus discriminis quanta vis sit, inde patet, quod ne ipsi quidem veteres in universa materia eminuerint. Horatius, teste Quinctiliano, e lyricis fere solus legi dignus est. Si a Virgilio discedamus, vix probabilem heroicum reperimus. Contra non uni Belgarum accidit, ut in diverso carminum genere pari felicitate versaretur. Facultas Ommereni lyrica non praeclara minus fuit, quam elegiaca. Hanc quominus explicem, fecit diligentia Marroni, qui laudandam sibi praecipue sumsit in opere Gallico, quod inscribitur *Magasin Encyclopédique*, Tom. VI, pag. 89 seqq. Marronus judicium fecit ex Oda, qua Ommerenus libertatem Gallorum, anno 1790 instauratam, cecinit. Et hanc et alia ejus Lyrica recepit Kootenius, specimina mentis divino furore ita correptae, ut rationis compos maneret. Cujus rei non facere possum, quin unum adferam exemplum. Apud Koo-

Kootenium pag. 37 Hooftio, Senatori et judici creato, ita gratulari incipit.

Vir fraudis expers, et nivea fide,
Pravique purus temporis artibus,
Qui laetus aularum beatas
Spernit opes, animumque vincit.

. . . .

Ridet potentum fulmina Caesarum
Ridet securus et gladii minas,
Tollitque dejectos nepotes
Et rutilas minuit catenas.



SYLVI

SYLVIA,

SIVE

LUSUS JUVENILES.

Τὸ, τε γὰρ μιμεῖσθαι, σύμφυτον τοῖς ἀνθρώποις ἐκ παίδων ἐϛὶ, καὶ τούτῳ διαφέρουσι τῶν ἄλλων ζώων, ὅτι μιμητικώτατόν ἐϛι, καὶ τὰς μαθήσεις ποιεῖται διὰ μιμήσεως τὰς πρώτας· καὶ τῷ χαίρειν τοῖς μιμήσασι πάντας.

ARISTOTELES, *De Poëtica*, Cap. IV.

SYLVIA.

> Familiare est Poëtis, etiam iis qui nunquam amaverunt, amorem aliquem sibi fingere, unde scriptionis petant argumentum.
>
> Broukhusius *ad Sannazar.*, L. I. El. X.

ELEGIA I.

DE CULTURA POESEOS NON INDECORA.

Scilicet est aliquid Clarias coluisse sorores,
  Plectra nec averso sollicitare Deo.
Est aliquid numeris famam meruisse perennem,
  Semper et a gratâ posteritate legi.
Numina nam sanctis incendunt corda Poëtis;
  Carminaque e superis missa fuere locis.
Qui neget hoc, secli volvat monumenta vetusti,
  Et pudeat castas commaculare Deas.

Phe-

Phemonoë cantans Grajis responsa ferebat,
Pythiaque herois vaticinata modis.
Carmina quis nescit rabidos domuisse leones,
Moeniaque inbelli structa fuisse lyra?
Quod potuit molles acuisse in bella Laconas,
Nil nisi Tyrtaei carmen inerme fuit.
Nec mihi dedecori recitare Cupidinis ignes,
Molliaque Idaliae dicere regna Deae.
Et decet ingenuae Musas junxisse Minervae:
Delectant lepidis seria mixta jocis.
Sophronis ingentem tenuerunt orsa Platonem,
Et stupuit Clarios Tullius ipse choros.
Saepius et Reges Latias coluere Camenas,
Laurus et augustas cinxit odora comas.
Inter adulantum fraudes regnique tumultus,
Aoniâ petiit Caesar ab arte decus.
Dum pater Augustus tragico gravis ore tonaret,
Dum caneres numeros, docte Hadriane, tuos,
Obstupuit solium, stupuerunt divitis aulae
Marmora regales tam valuisse manus.
Caetera quid memorem Latio rutilantia Pindo
Sidera, supremo vix abolenda die?
Non juvat auratas Regum conscendere turres;
Conteritur nostris area parva rotis.

Qui

Quid loquar heroas, hostili clade superbos,
Et patria claros nobilitate viros?
Quamvis illustres extollat Roma Poëtas,
Romanis similes postera turba dedit.
Carmina divino dum Furstenbergius ore
Umbrosae caneret collibus Angariae,
Saepius innocuo Dryades modulamine captae,
Cum Satyris, laetos instituere choros.
O quoties, illo tremulas recinente per umbras,
Balatu metuit rumpere carmen ovis!
O quoties Corydon, Tyrio perculsus ab ostro,
Ceu Phoebi viso numine contremuit!
Quid memorem plures? Kinschoti Musa legetur,
Dum stabit Batavo nobilis Haga solo.
Moenia dum Leidae circumluet agmine Rhenus,
Heinsiadum vivet Grotiadaeque melos.
Vos mihi, Castalides, lauro decorate capillos,
Carmen et e vena fertiliore fluat.
Non ut magnificos ausim celebrare triumphos,
Factaque magnorum prodigiosa Ducum.
Quis stupor est cymbam medias agitare per undas?
Quis dederit parvae grandia vela rati?
Me juvat in roseis dominae recubare lacertis,
Et suspiranti delituisse sinu,

Inter et amplexus teneros cantare calores,
Ut faveat votis SYLVIA cara meis,
Meque legat juvenis, blandi contemtor Amoris,
Sentiat et lecto carmine, quid sit amor.

ELEGIA II.

AMOR INFELIX.

Quam fallax Amor est! heu, quam fugitiva voluptas!
Quod mihi promisit spes, timor omne rapit.
Alter, quae casto Cythereia spondet amanti
Gaudia, non ullo mixta dolore capit;
Seu dominam poterit cupidis retinere lacertis,
Seu caput in dominae deposuisse sinu.
Nos tamen adverso semper luctamur amore,
Cogimur et vitae tristia fata queri.
SYLVIA, quae patriis formosior una puellis,
Materies numeris non inhonora meis,
SYLVIA, quae misero quondam mihi sola voluptas,
Nunc ridet blandas ambitiosa preces,
Meque jubet veteres alio vertisse calores,
Contemnens Musae myrtea serta meae:

Quod

Quod mihi non gazae, proavûm non atria ceris
Splendida, nec celso stemmate ducta domus.
Scilicet, heu! turpe est amplexus ferre pudicos
Pauperis, et vili concubuisse toro!
Endymion potuit formosam exurere Lunam:
Hic tamen agresti sanguine natus erat,
Hunc tamen indocta pecudes mulcere cicuta,
Audierant gremio Latmia saxa suo.
Num minus alma Venus tenerum dilexit Adonin,
Per juga quod celeres exagitarat apros?
Hei mihi! quid Tyrio prodest requiescere lecto,
Anxia quum lacrymis nox peragenda venit!
Quidve sitim rutilo prodest relevare smaragdo,
Abrumpunt hilares si mala multa jocos!
Nam neque jucundae concedit gaudia vitae
Gaza, nec a tecto divite cura fugit.
Tityrus in solis degit felicior agris,
Dum possit parvos enumerare greges,
Quam Rex, qui solio residet metuendus eburno,
Dum tremit ad nutum subdita turba suum.
Scilicet huic timidam torquent diademata frontem,
Et tremula gestat lubrica sceptra manu.
Ille tamen patrio vivit contentus agello,
Gaudet et herboso consenuisse toro.

 Quid

Quid moror in parvis? tu Martia Roma vigebas,
Quum tegerent sanctos vellera dura Patres;
Templaque quum starent cannâ contecta palustri,
Et foret in viridi fictilis aede Deus;
Nec pudor heroï, peregrinâ gente subactâ,
Dura triumphali ducere aratra manu.
Frangere tunc validae licuit Carthaginis arma,
Tunc licuit Pyrrhi spernere posse minas.
Sed, simul ac mundi pestis metuenda voluptas
Coeperat in regnis luxuriare tuis,
Crimina tunc sanctos macularunt foeda Penates,
Dignaque barbarici praeda furoris eras.
Ergo ne gazis oculi capiantur avari,
Si sapis, illarum disce timere dolos.
Desine sinceras contemnere, SYLVIA, flammas:
Non opibus verus conciliatur amor.
Mi liceat teneris requiescere molliter ulnis,
Et citharam fessâ sollicitare manu.
Sic mea Maeonidae superabunt carmina famam,
Et dicar Clarias demeruisse Deas.
Sic tu magnanimis illustrior Heroïnis,
Et stupor aeternae Posteritatis eris.
Quid cessas, mea lux? socios jungamus amores,
Langueat in gremio nostra juventa tuo.

Quid

Quid cessas? tacito labuntur tempora gressu,
  Et cito rugosâ fronte senecta venit.
Nec tibi blanditias titubanti fingere linguâ,
  Nec dabitur canis oscula ferre comis.
Si tamen haec animum non sint flexura ferocem,
  Et dura in tenero pectore saxa geras,
I precor, illustris capiant te nomina gentis,
  Atque opibus clarum quaere superba virum.
Ipse ego desertis errabo solus in agris,
  Antra nec humano lumine visa petam.
Hic miserata meos resonabunt saxa dolores,
  Utque solet raptâ conjuge turtur, agam;
Et querulo insanas narrabo carmine flammas,
  Quod legat innocuo cum Corydone Mycon.
Di facite, ut moriar nemorum resupinus in umbrâ,
  Dum recinam laetas inter Hamadryadas!
Tunc hilares animam cantanti efflabimus ore,
  Et cadet e dextrâ deficiente lyra.
Forsitan Aoniae lugebunt funera Divae,
  Consperget lacrymis et mea membra Venus.
Forsitan et Mortis plorantia lumina cernam,
  Dum petet invitâ cor juvenile manu.
Forsitan et pastor cineres componet in urnâ,
  Quâ platanus densas explicet alta comas,

Dicet et afflictus » tumulo procul ite capellae,
» Nec cupido sacrum laedite dente locum!"
Et me sylvestres lugebunt Alphesiboei,
Phyllides et bustis florea serta ferent.
Sic ego despiciam Regum monumenta priorum,
Sic laedet manes nulla querela meos.
Alter carminibus tentet superare Maronem,
Quaerat et e toto, quâ patet, orbe decus:
Me recinat Corydon, viridi dum considet umbrâ,
Et referat pueris nomina nostra senex.

ELEGIA III.

IN CONSPECTUM ARCUS MAGNIFICI A. MDCCLXXVII. LEOVARDIAE EXSTRUCTI.

Quo feror? an Latias rapior stupefactus in oras?
Priscaque sunt oculis templa videnda meis?
Seu me Niliacae capiunt miracula terrae?
Aut Ephesi claro culmina structa solo?
Splendida majestas! divinae gratia formae!
Gratia vel superis invidiosa locis!

Ma-

Magnifici postes! Pario de marmore signa!
  Non nisi Lysippi quae fabricanda manu.
Illic Fama volat, rutilo spectabilis auro,
  Et gerit augustâ serta ligata manu.
Quid, Dea, quid volitas? trepidantes contrahe pennas,
  Namque hic templa tuo Numine digna nitent.
Luxuriant illic Veneres, hic Gratia ludit,
  Saltat et innocuis juncta Cupidinibus.
Ambrosii rutilant nivea cervice capilli,
  Et volitant teneris ludibrium Zephyris.
Utque rosae splendent puro de lacte madentes,
  Destillat pictis purpura laeta genis.
Illic constanti fulget Constantia vultu,
  Exornat validas firma columna manus.
Cernitur hic Mater, dulci circumdata prole,
  Quantus materno candor in ore micat!
Fallimur? an teneri pendent circum oscula nati?
  Matris et amplexus turba pusilla petit?
Quid cessas, mater? tibi parvula brachia tendunt,
  Uda natant moestis lumina lacrymulis.
Quid cessas? dextrâ lacrymantia lumina terge,
  Fige, precor, madidis oscula, fige genis.
Haec ego quum tenui tentabam carmina nervo,
  Aurea perculso lumine tecta stupens,

An-

Ante exspectatum, turba comitante Leporum,
  Constitit ante oculos SYLVIA blanda meos,
Risit, et obliquis telum demisit ocellis;
  Mî cithara oblitis concidit e manibus.

ELEGIA IV.

IN DOMINAM AEGROTANTEM.

Ergo erat in fatis tantos perferre dolores,
  Semper et adverso pandere vela Noto?
Ergo nulla meos lenibunt gaudia luctus,
  Sed rapient justas ventus et unda preces?
Scilicet, heu! mea lux, thalamo mihi pacta jugali,
  Languet inexhaustis exagitata malis.
Languet io, Superi! viridis sub flore juventae,
  Febris et immiti membra calore coquit.
Quid facis, ah, scelerata? tuas depone sagittas,
  Inproba de tenero corpore tolle manus!
Jam vigor ille abiit! dulces periere lepores!
  Fugit et a roseis purpura laeta genis!
Jam color exsangues suffudit pallidus artus,
  Perdideruntque suas lumina blanda faces;

Et

Et gemit ex imo suspiria pectore ducens,
Moestaque perpetuis fletibus ora madent!
Quis ferat, ah, gemitusque graves oculosque madentes,
Dum cadit in tremulo languida dextra sinu!
Cynthie, formosas toties miserate, jacenti
Nunc ades! auxilium sentiat illa tuum!
Tu dominae medicare meae, fuit et tibi Daphne!
Ah, subeant animo gaudia prisca tuo!
Et tu, blanda Venus, tenerae succurre puellae,
Adfer et Idaeis pharmaca lecta jugis!
Vel levis ambrosio veniat tibi spiritus ore,
Morbida vel cesto pectora tange tuo!
Sic populi late venerentur numen Amoris,
Et vigeat donis nobilis IDA tuis.
Sic tibi, per scopulos quondam ploratus Adonis,
In placidâ semper dulce quiescat humo!
Ipse ego multiplici nexas de flore corollas
Suspendam templis, munera parva, tuis,
Carminaque intexam sertis: Pro. Virgine. Salva
Ponimus. Ante. Tuos. Haec. Cytherea. Pedes



ELE-

ELEGIA V.

AD VIRUM DOCTISSIMUM HERMANNUM BOSSCHA,
AMICUM SUAVISSIMUM.

Tempus adest, moriar. dulces, valeatis, amici!
Me vocat in nigros flebilis hora lacus.
Scilicet immanes lacerant mihi pectora curae,
Membraque tristitiae pondere pressa cadunt.
Ut rosa, quae nimio solis torretur ab aestu,
Languet, et a Zephyri flamine tacta cadit:
Ut ratis horrendis fertur quassata procellis,
Ludibrium Boreae, ludibriumque mari.
Non me funereo conterret murmure bubo,
Colchica nec magico carmine cantat anus.
Languida quum pennis mulcet mihi corpora Mor-(pheus,
Praedicunt certam somnia vera necem.
Ergo erit illa dies, nostro quâ percita casu
SYLVIA vesanis unguibus ora petat,
Et tumulo sedeat, laceros foedata capillos,
Condat et in tepidos ossa cremata sinus,
Et cineres amplexa meos componat in urnâ,
Et lacrymis spargat marmora dura suis?

O

O utinam magnae sensisset tela Diones
Parca, Cytheriacis invidiosa jocis!
Nullus amans tenerae lugeret funus amicae,
Fleret et in viduo nulla puella toro;
Inter at amplexus et basia, laetus amator
Deficeret dominae deficiente sinu.
Tunc animae junctis saltarent molliter ulmis,
Et peterent nigri lurida regna Dei;
Multaque dum lepidis miscerent oscula verbis,
Tranaret Stygios umbra beata lacus.
Portitor ipse Charon, fluvio remisque relictis,
Innocuis vellet lusibus ire comes;
Basiolumque sibi pretium non vile laboris
Posceret a roseo virginis ore senex.
Basiolis Stygiae resonarent undique ripae,
Ederet et querulos vallis odora sonos.
Aemula Tisiphone, roseo fucata colore,
Anguinas cuperet deposuisse comas,
Et Cytherea Venus, Charitum stipante catervâ,
Jura daret niveo conspicienda toro.
Non rota, non scopulus miseros torqueret amantes,
Urgeret medias nec sitis inter aquas.
Poena foret teneris dextram vincire hyacinthis,
Et gerere e Cypriis vincula nexa rosis;

Aut

Aut dominae coram nutus spectare loquaces,
  Basia nec toto jungere posse die.
O utinam tali liceat mihi vivere regno!
  Quam colerem Paphiae mollia jura Deae!
Sed quid vana peto? laeti procul ite cachinni!
  Instat, io, nostrae flebilis hora necis.
Lurida jam resonant infernae texta carinae,
  Squallidus et rauco murmurat ore Charon,
Increpitatque moras, Parcamque incusat inertem,
  Clamat et assiduis vocibus »umbra veni!"
Interea, miserate meos, HERMANNE, dolores,
  Ultima jam socio porrige dona tuo.
Tu mihi, quum gelido labuntur frigore membra,
  Conde, precor, fidâ lumina cara manu;
Et mea, quae spissis conduntur pressa tenebris,
  Si vacat, arbitrio carmina subde tuo.
Scilicet invenies tenerae modulamina Musae,
  Quae cecini balbo parvulus ore puer.
Invenies pariter laetis quae lusimus annis,
  SYLVIA dum cupido lumine visa fuit.
Forsitan haec gratos possint mulcere Nepotes,
  Carmina nec vati sint inhonora suo.
Quae teneant animum, Batavo spargantur in orbe,
  Quae minus, obscurâ condita nocte premas.

Sic

Sic, precor, Aonias concedant Numina vires,
  Et fluat ornatu nobiliore melos!
COELIA sic, Frisias inter celeberrima Nymphas,
  Praebeat ambrosio gaudia mille sinu;
Mutuaque alternis jungantur pectora flammis,
  Et videas placidos leniter ire dies!
Quod superest, viduam, precor, ah solare puellam,
  Quae desolato nunc gemit in thalamo,
Nec pia continuo tabescant corda dolore,
  Lingua nec aeternos laedat acerba Deos.
Illa sed accedat tecum sociata sepulcro,
  Taliaque in rigidâ carmina fronte notet:
CONDITUR. HIC. JUVENIS. TUMULUM. VENERARE. JUVENTUS
  ET. CINERI. DICAS. SIT. TIBI. TERRA. LEVIS
Infundatque merum, Syriosque inspergat odores,
  Albaque purpureis lilia cum violis.
Sic ego, dum stygiae spatiabor margine ripae,
  Jactabo placidis munera tanta choris.

IN

ERUDITISSIMI JUVENIS

ET

POETAE EXIMII,

JOH. ADAMI NODELL,

AMORES.

Jucundi salvete Elegi! Salvete NODELLI
  Aemula carminibus carmina, Naso, tuis!
Carmina, quîs suppar priscis REGINA puellis
  Gaudet, amatoris nomen adepta chely.
Ut juvat assidue comtum versare libellum!
  Ut juvat hos vigili conbibere aure modos!
O! nimium felix tanto cultore puella,
  Quo faciente virûm viva per ora volas!
Tu quoque ter felix Vates, nimiumque beate,
  Cui virgo ridet par in amore novo,
Mixtaque jucundis interserit oscula verbis,
  Qualia Bonfonio Pancharis usque dabat!

Qua

Qualia flagranti quondam Galatea Relando,
  Idaque Santeno nuper amata suo!
Tempus erit, cupido quae nunc respondet amanti,
  Quo majora dabit gaudia, juncta toro,
Gaudia, quae sociis spondent Hymenaeus, Amorque,
  Quae deceant citharam, culte NODELLE, tuam.
Nam mihi si pariles numeros dictaret Apollo,
  Floreret numeris jam DOMITILLA meis;
Quae nunc spreta latet, pudibundaque lumina celat,
  Cum REGINA suum spargat in orbe decus;
Vivat et Aonii numeris victura NODELLI,
  In terris donec regna tenebit Amor.

CARMEN

DE

IMMENSA DAMNORUM AC MISERIARUM SERIE, QUAE EX JUVENTUTE, IN OTIO ET VOLUPTATE TRANSACTA, PROVENIUNT.

Dictum publice die XX *Dec. anni* 1780 *in aede D. Virginis, cum Gymnasii Amisfurtensis moderamen solemniter auspicaretur.*

Adspicite en juvenem, roseo qui vernat in aevo,
Praesidium patriae deliciumque domus,
Cui veteres licuit vix deseruisse Penates,
Frangereque invisi vincula servitii.
Insolitas miratus opes luxumque beatum,
Jam vitâ statuit liberiore frui.
Jam pudet in studiis consumere tristibus aevum,
Splendida ne violet pallidus ora color.

Ef-

Effugit austerae penetralia sacra Minervae,
  Juraque Castalii spernit amara chori.
Gaudet odoratos apio cinxisse capillos,
  Laetaque spumanti proluere ora mero.
Lascivamque avidis Helenam complexibus ambit,
  Aut sedet in gremio, Laïs avara, tuo.
Denique cuncta placent malesani crimina secli,
  Luxuriaeque pudet jam statuisse modum.
Quo ruis, infelix! quo te rapit improbus ardor!
  Dum licet, i, furiis injice frena tuis!
Sperne voluptates, et inanis retia luxus;
  Tristia sub dulci melle venena tegunt.
Quae tribuunt, rapido labuntur gaudia gressu,
  Quaeque trahunt secum, damna perenne manent.
Utque prius cupidas Siren quae mulserat aures,
  Spargebat mediis membra cruenta vadis:
Sic tibi quae faciles nunc explicat aurea vultus,
  Jactabit tumidas mox furibunda minas.
Et si parva tibi superest pietatis imago,
  Nec vincis rapidas asperitate feras;
Respice longaevâ fessos aetate parentes,
  Sollicito qui te pectore semper amant,
Qui precibus toties Superos lacrymisque fatigant,
  Ne noceant animo cura dolorque tuo,

Laetaque vernanti faveat Fortuna juventae,
  Et patriae subito restituare focis.
Jam longae pertaesa morae, pertaesa timoris,
  Tendit in amplexus mater amata tuos.
Pro Superi! quales lacerabunt corda dolores,
  Quum videat nati pallida membra sui!
Pro Superi! caeco scelerum temeratus amore
  Qui poteris madidis oscula ferre genis!
O utinam teneros genitrix clausisset ocellos,
  Cursares patrios cum puer ante Lares!
Aut Libitina patrum, ne crimina tanta viderent,
  Ad Styga funestum praecipitasset iter!
Quid loquor? indignos Patriae, precor, adspice fletus,
  Auxilium quae te supplice voce rogat,
Scilicet haec, tenerum quae te suscepit alumnum,
  Exspectat curae praemia digna suae,
Desine lascivis incendere moribus iram,
  Postmodo ne fiat dira noverca tibi.
Nam pietatis inops, turpique libidine victus,
  In patrio vires pondus inane solo.
Ardua seu Themidis lustrare sacraria tentas;
  Ista nec impuro sunt violanda pede.
Qui poteris veterum leges aperire Quiritum,
  Ni tua doctrinae pectora movit amor?

Justitiamne queas sacrataque jura tueri,
  Ni pietas animo sit bene culta tuo?
An, te dum torquet furor exitialis habendi,
  Artifici metues vertere jura dolo?
Hei mihi! jam videor gemitus audire clientum,
  Divitias patrum quis tua dextra rapit!
Pauper et indigno vinclorum pondere pressus,
  Incusat linguae crimina dira tuae!
Quid tibi cum templis? pete squallida lustra ferarum,
  Ista latrociniis sunt magis apta tuis!
Seu cupis augustos Regum penetrare recessus,
  Aureaque indigna sceptra tenere manu.
Scilicet ut veteres fugiat Sapientia sedes,
  Et tremat ad nutum Calliopea tuum;
Incolat et nostras rudis Ignorantia terras,
  Barbariesque sacrâ ponat in arce pedem;
Plebsque parum casti stimulata libidine Regis
  Discat ab exemplo crimen amare tuo;
Aulaque, lascivis nimis heu! reserata ministris,
  Sit scelerum sedes, perfugiumque reis;
Et Pietas, rabidis circum oppugnata tyrannis,
  Tristia lugubri carcere fata gemat.
Eja age, Caucaseis surgat tibi regia saxis,
  Cingat et indignum bellua multa latus;

Aut tua dilacerent furibundae viscera tigres,
  Et venias avidis praeda cruenta lupis.
Seu cupis aeterni mysteria pandere coeli,
  Debitaque intactis thura adolere focis.
Dum pia divini contemnis jussa magistri,
  Ad Superos poteris num reserare viam?
Num dabitur tetri compescere crimina secli,
  Dum pallent foedis ora libidinibus?
Tene putas; rauco resonant dum murmure templa
  Flectere commoti pectora sancta Dei?
Desine quod sanctum est cultu temerare nefando,
  Sacraque pollutâ commaculare manu,
Noxiaque ad superas extendere brachia sedes,
  Ne veniant capiti fulmina justa tuo.
Scilicet ipse Deus larvam pietatis inanem
  Odit, at integri munera cordis amat.
Seu magis insani capiunt incendia belli,
  Praedaque Mavortis pulverulenta placet.
Tune, voluptati teneris devotus ab annis,
  Frigoraque et Boreae murmura saeva feres?
An tu, femineis solitus recubare lacertis,
  Adspicies morti tela parata tuae?
Anne parum firmos clypeus tibi deteret artus?
  Uret et invalidas cuspis acuta manus?

Tutius est roseo dominam tenuisse cubili;
  Non sunt ignavo castra colenda gregi.
Denique te facilis quoquo levet aura potentum,
  Diceris patriae dedecus usque tuae.
Quid moror? effusi captus dulcedine luxus,
  Amittes vitae gaudia vera tuae.
Scilicet effeto languent in corpore vires,
  Et vigor aetatis ingeniique perit.
Decolor informes macies tibi conterit artus,
  Denegat et solitam pes male firmus opem.
Pallor habet vultum, pendent sine sanguine venae,
  Et fugit a teneris purpura grata labris,
Laetaque vernantis languescit gratia formae,
  Horret et adspectum blanda puella truoem,
Aegraque lethalis consumit viscera tabes,
  Nervorumque vetus deficit ille vigor,
Sidereusque nitor radiantes linquit ocellos,
  Noxque tenebrosas cingit opaca genas.
Quid? quod et, humanae decus et dos maxima vitae,
  Interit innocui cordis amata quies.
Scilicet indigni premitur mens conscia facti,
  Damnat et errores irrequieta suos,
Assiduasque sibi componit noxia curas,
  Praebet et aerumnis ipsa alimenta suis.

Non illi tacitae per tuta silentia noctis
  Impia nectareus pectora somnus habet;
Abripiuntque brevem suspiria crebra quietem,
  Humidaque assiduis strata madent lacrymis.
Nam nec eam plumae, Tyrii neque purpura lecti,
  Nec citharae poterit conciliare sonus;
Dira sed insolitum producunt visa timorem,
  Luditur et falsis pectus imaginibus.
Seu roseo terras oblectat lumine Phoebus,
  Solus inexpletis angitur usque malis.
Nequidquam varios pandit Natura colores,
  Et mulcet donis noxia corda suis.
Nequidquam queruli resonant per gramina rivi,
  Pandit et umbrosas arbor amica comas.
Nequidquam volucres permulcent cantibus auras,
  Lanigerum in pratis luxuriatque pecus.
Non recreat placidi clementior aura Favoni,
  Dum tepido laetos flamine mulcet agros.
Quid, rosa, purpureo fulges per gramina cultu?
  Non capit illecebras mens scelerata tuas.
O pecudum contenta cohors, teneraeque volucres!
  Quam cuperet vestra conditione frui!
Scilicet innocuae nemorum cantatis in umbrâ,
  Ponitis aut viridi membra quieta solo;

Ille sed, ultrici Furiarum verbere caesus,
Conspergit lacrymis antra nemusque suis.
Quo ruis, infelix! quo te rapit improbus ardor!
Delicias vitae perdis, inepte, tuae!
Non tibi blanda Venus, coelo demissa sereno,
Concedet socii gaudia grata tori.
Non te purpureis conjux retinebit in ulnis,
Quae levet alloquio tristia corda suo.
Non tibi blandiloquus saliet circum oscula natus,
Aut gremio ludet sarcina grata tuo.
Non tibi, longaevae solamen dulce senectae,
Annorum soboles flebile tollet onus.
Non placitos firmo tibi foedere junget amicos,
Quae venit e puro pectore, pura fides.
Nullus erit, miseri lacerant dum corda dolores,
Auxilio qui te consilioque juvet.
Laeta nec assiduas adiment convivia curas,
Nec veniet tristi laetus ab ore jocus.
Dumque apio cingunt alii viridante capillos,
Et placidos gaudent molliter ire dies,
Lusibus et recreant animos tenerisque cachinnis;
Cogeris assiduis ingemuisse malis.
Et liceat vultu faveat Fortuna sereno;
Non tibi Fortunae parta favore quies:

Nam

Nam neque splendor opum, neque tinctae murice vest
  Gaudia sollicito non peritura dabunt.
Tecta nec Oebaliis prosunt innixa columnis;
  Incolit auratas cura molesta domos.
Nec juvat exhausto conspergere labra smaragdo,
  Nec bibere Eois pocula mixta rosis.
Seu magis horrendas moveat Fortuna procellas,
  Et bona, quae dederit, invidiosa ferat;
Dum sperata feri lacerant compendia fluctus,
  Aut rapiunt partas ventus et ignis opes:
Seu rabidos reseret malesana Calumnia rictus,
  Solamen miseris fletibus unde petes?
Dumque alium vitae mulcent promissa futurae,
  Ponit et in solo spemque fidemque Deo;
Quid facies? animum quâ spe solaberis aegrum,
  Pectus ab integrâ dum pietate vacat?
Dum rapido accelerant letales agmine Morbi,
  Et teneros artus Pestis anhela terit,
Fluxaque dum sordent periturae munera terrae,
  Num dabitur Superûm cor recreare dape?
Quid loquar effetae crescentia damna senectae,
  Dum vigor aetatis, qui fuit, omnis abit?
Num placidâ poteris venturam mente ruinam
  Cernere, et extremo debita fata rogo?

Dein

Deinde ubi Lethaeâ claudentur lumina nocte,
Injicietque suas trux Libitina manus;
Nullus erit, placitis qui sparget odoribus urnam,
Et cineri dicet, sit tibi terra levis!
Sed tua si quando contingat busta viator,
Projiciet turpes ante sepulcra rubos.
Hei mihi! sed quantis resonant ululatibus aures,
Quaeque animum turbant tristia visa meum!
Pro Superi! humanae quanta inconstantia vitae!
Quam miseri incertâ conditione sumus!
Scilicet hic turpi solitus servire Dionae,
Et gerere Idaliis tempora cincta rosis,
Languida funereo prostratus membra cubili,
Cogitur infernos jam superare lacus.
Cernite, ut afflicti circumstent strata propinqui,
Et madida inductis vestibus ora tegant.
Hic pater, innumeris laceratus pectora curis,
Suspicit immotis sidera luminibus.
Hic genitrix, miseri ingeminans pia nomina nati,
Pectora vesanâ pulsat anhela manu.
Hic thalamo quondam virgo desponsa jugali
Detinet amplexu frigida membra suo.
Hic juvenum turbata cohors solatur amicum;
Sed rigat invitas plurima gutta genas.

Ip-

Ipse jacet lento laniatus corpora morbo,
  Moestaque lugubri murmure tecta replet.
Ora tegit pallor; praestringit guttura tabes;
  Membra super stratum viribus orba jacent;
Semianimisque oculis nunc hos, nunc respicit illos;
  Qui tamen imminuat tot mala, nullus adest.
Nunc animum subeunt adamatae munera terrae,
  Non oculis posthac adspicienda suis.
Anne queat dominam, dulcemque relinquere matrem?
  An queat extremum dicere lingua, vale!
Nunc subeunt primae secreta piacula vitae,
  Probraque, queis sanctum laeserat ante Deum.
Quid faciat? turpes ad sidera porrigat ulnas?
  Justa sed irrisi Judicis ora timet.
An magis irati contemnat fulmina coeli?
  Ipsa sed invitum corda timere jubent.
Ut truncata ratis vento jactatur et undis;
  Sic miser in mediis fluctuat usque malis.
Audit io stygiis suspiria missa cavernis;
  Audit ab ultrici quassa flagella manu,
Sulphureasque videt flammas, lacrymasque, minasque,
  Et laceros artus, sanguineasque genas.
Ingemit, et matrem repetens (tanquam illa juvaret)
  Pallida materno contegit ora sinu.

Sed

Sed Libitina furens, rabidâ comitante Megaerâ,
Advolat, et tepido protrahit e gremio,
Multaque nequidquam lacrymantem et multa precantem
Abripit, et stygiis obruit ora vadis.

HERM.

HERM. BOSSCHAE,

AMICO SUAVISSIMO,

S.

Verane, quae miseri nuper mihi conscia luctus,
  Venere a Saliis nuncia missa locis?
Tune, prius facilem Fortunae experte favorem,
  Cogeris invictis ingemuisse malis?
Tune, prius roseis ducens in odoribus aevum,
  Suspiras madidis ad nova busta genis?
Hoc erat, ô Superi! tacita quod noctis in umbra
  Portabant oculis somnia visa meis.
Mens abit, et gelida trepidant formidine sensus,
  Quum subeunt animum tristia monstra meum.
Vallis erat, circum minitantibus obsita saxis,
  Et latuit pigro terra perusta gelu.
Omnia lugubri jacuerunt abdita nocte,
  Aegraque spargebat flebile Luna jubar.
Solaque turbabat lacrymosa silentia bubo,
  Et querulo longos edidit ore sonos.

Un-

Una vagabatur gelidis in rupibus umbra,
  Tardabant molles nec loca senta pedes.
Illius amplexus media de valle petebas,
  Fugit at amplexus protinus illa tuos;
Et quamquam madidis te suspiraret ocellis,
  Abstulit invitam se tamen usque tibi.
Pro Superi! quantis resonabant saxa querelis,
  Quas reor indomitos flectere posse lupos!
Talia sollicitas turbabant somnia noctes;
  Tecta sed oblati mansit origo mali.
Quum mihi ferales cultu testante dolores
  Advenit, heu! casus conscia cera tui.
Siccine flos Charitum, patriae lux aurea terrae,
  Occidit inferno victima grata Jovi!
Tantaque divino rutilantia corpore dona
  Accipit angusto flebilis urna sinu!
Ah genus infelix hominum, quîs vana petuntur
  Somnia, et horrendi spernitur ira rogi!
Suspicimus titulos, patriasque attollimus aedes,
  Dum stat Avernalis cymba parata senis.
Assidueque novas molimur pectore curas,
  Ut veniat certae tristior hora necis.
Seraque longaevae meditamur fata senectae,
  Dum gemit in Stygiis florida turba vadis!

Si tamen antiquos fas est renovare dolores,
  Nec refugit veteris mens meminisse mali;
Quid tibi tunc animi, quum raptus ab ubere fetus
  Conderet in patrio lumina blanda sinu?
Quid tibi tunc animi, quum pallida morte futura
  Amplexus cuperet uxor adire tuos,
Et tecum optati repetens pia gaudia lecti
  Flebile languenti diceret ore vale!
Atque inter lacrymas et basia mixta querelis
  Deficeret gremio jam moribunda tuo?
Nonne anima, immenso circum oppugnata malorum
  Agmine, vix propriae conscia mentis erat?
Per noctem veluti deprensus in Alpe viator,
  Latronum armatas dum videt ense manus:
Ac velut horrisonis dum conditur aequoris undis
  Naufragus, et certam sentit adesse necem.
Conscia nunc madido spectabas sidera vultu,
  Pressit et includens anxia verba dolor.
Nunc tacite exsangues contemplans conjugis artus,
  Ducebas tremulas moesta per ora manus.
Nunc trepidos volvens oculos et pectora plangens
  Flebilis invicti praeda furoris eras.
Duraque despiciens odiosae munera lucis
  Clamabas longas nectere Fata moras.

O utinam celeri ferrer per inane volatu,
Sisteret et Saliis me levis aura plagis!
Tum pariter querulas gemeremus uterque per umbras,
Fluminaque assiduis fletibus aucta forent:
O quoties caecae per opaca silentia noctis
Praeberent mollem nigra sepulcra torum!
O quoties tacitae resonarent CAELIA valles,
Cerneret et nostram conscia Luna fidem!
An tamen obscurâ quae lumina morte resignat,
Cuncta simul secum, trux Libitina rapit?
An tua lux, Pyliam dignissima carpere vitam,
Incolit umbrosas non reditura domos?
Anne ideo aethereae jactamus semina stirpis,
Ut rapiant nigri munera tanta rogi?
Anne ideo aeternae est animis spes insita vitae,
Ut pereat fluxis diripienda Notis?
Non ita. terrenis mens corporis excita vinclis,
Deserit abjecto pondus inane solo.
Contemtorque rogi Superas escendit ad arces,
Aureaque aetherea praeterit astra fuga.
Dumque stupet toto volitantes aëre moles,
Visit ad aeterni limina sancta chori.
Fallor? an angustas circumstant agmina sedes,
Et Deus amplexus comprobat ipse pios?

Fallor? an et noti fulgent per nubila vultus,
Turbaque coelestes tendit amica manus?
Audistin? placido resonant modulamine nubes,
Atque iterant sacros culmina summa modos.
Nunc precor indomiti teneant sua flamina venti!
CAELIA divina carmina voce canit.
Illa canit: taciti mirantur in aëre Soles,
Sideraque aethereo tacta canore silent.
O amor! ô sancto suspiria pectore digna,
Carminaque humanis non imitanda sonis!
O utinam et nobis pateant penetralia coeli,
Detur et adspectu Numinis usque frui!
Currite tunc celeri fugientia saecula lapsu,
Ut cito defletis jungar amicitiis!
Interea justo ne quidquam desit amori,
Ossa precor tepido collige sparsa sinu.
Inque rosae foliis et amomi pulvere conde;
Atque ita marmorea condita pone domo.
Sed platanus tremula cineres circumtegat umbra,
Solis ut ardentes arceat alta faces.
Adsit et irriguos invitans murmure somnos
Rivulus, ut gelidis ossa rigentur aquis.
Utque sitim liquido relevans de fonte viator,
Manibus exoptet otia laeta piis.

Osteu-

Ostententque suos Paestana rosaria cultus,
 Ut sacer optato spiret odore locus.
Nec minus innocuae balent, super ossa bidentes,
 Misceat artifices et Philomela modos.
Hic inpune tuo potes indulgere dolori,
 Priscaque deserti gaudia flere tori.
Saepius hic videant te sidera prona sedentem,
 Et capiat lacrymas umbra beata pias,
Donec et obscura claudantur lumina nocte,
 Conjugis et mixtis ossibus ossa teras.

1782.

❁

JOANNI SCHRADERO,

PRAECEPTORI OPTIMO

S.

Sic te peremtum perpetuus sopor,
Schradere! vinclis urget aëneis!
Sic mentis augustae profundâ
Dona jacent tumulata nocte!

Quid Frisiorum commeruit genus?
Cur damna damnis ingemit addita?
Devota quid Musis juventus
In patriam Superosve finxit?

Orbata nuper praeside Pieris
Sellis resedit sola curulibus,
Nudumque Libertas merenti
Tristis ebur lacryma rigavit.

Pres-

Pressere turbae vix gemitus piae;
Clausit sepulcri vix Lachesis fores;
En, sancte Musarum sacerdos,
Regna petis taciturna Ditis.

I nunc, decoro sanguine sordidos
Enses, potentum seu titulos ducum
Ostende terris, aut parentum
Signa nigro veneranda fumo.

Ostende nexas Castalidum rosas,
Ductasque blando pectine tigridas;
Jam cuncta terrarum latenti
Vota sinu duo busta claudunt.

Spectant trementi sidera lumine
Vates; solutis stant juvenes comis,
Interque moerentes catervas
Spreta jacent sine honore templa.

Jucundus olim Thespiadum liquor
Per saxa vasto volvitur impetu,
Vatumque divinos recessus
Indomiti populantur Euri.

Rhenus Camena tactus amabili
Narrat remotis funera gentibus,
Flevusque detorquet recenti
A tumulo violenter undas.

O sidus, o lux divitis ingenî,
Obscura terrae nubila dissecans,
Pectusque mortales tenebras
Aethereo superans volatu!

Seu vulneratis dextera vatibus
Vindex ademtum restituit decus,
Sordesque seclorum fugavit
Arbiter Ausoniae Camenae.

Seu motus aegri crimine temporis
Prolem Batavam jussit adoreae
Sperare divinos honores,
Ingenuae columen juventae,

Quae nunc amati lumine praesidis
Orbata colles adspicit horridos,
Solesve suspirans priores
Funereas sedet inter umbras.

Qu

Qualis perustis hospes in Alpibus,
Inter furentum murmura tigridum,
Per saxa, per rupes vagatur,
Astra tuens taciturna Lunae.

Seu plectra pulsas; auferor, auferor,
Divine vates, et super aethera,
Oblitus humanos labores,
Ambrosia saturor Deorum!

Nunc dicis oestro percitus igneo
Audita terris praelia barbaris,
Fasces vel ereptos tyrannis,
Et patrio madidos cruore.

Jam, jam silentum per juga montium
Clangunt superbae cum lituo tubae,
Clamorque victricis catervae
Attonitas resonat per urbes!

Hinnitus aures quadrupedum ferit!
Sudor stupendis defluit artubus!
Splendorque fumantes per agros
Purpurei rutilat tropaei!

Audit juventus murmura cornuum ;
Audit potentis vulnera dexterae,
Fletusque vix celans decoros
Fulmineos rapitur per enses.

Nunc rapta molli ludis arundine
Non pervicacis basia Phyllidis,
Somnosque pastorum beatos,
Fronde levem tribuente lectum.

Talis loquaci murmure profluit
Exusta rivus gramina dissecans,
Quem solis enervatus aestu
Assyrius reperit viator.

I, cui peritis combibere auribus
Schraderianos Musa dedit modos,
Tanto nec indignus sodali
Exiguam venereris urnam,

Intacta cani pignera seculi
Vindex remotae redde propagini,
Serosque Libertas avita
Incolumis vigeat per annos.

Dam

Damnosa luxus effuge retia;
Auri nefandum dispereat decus;
Hinc dira Poenarum caterva
Degeneres cruciat Penates.

Splendor bonarum nobilis artium
Augusta Patrum pectora suscitet,
Altrixque virtutum pudicâ
Simplicitas dominetur aula.

Sic, sic Batavus, non proavis minor,
Diffundet oras nomen in ultimas;
Sic Janus astrorum relictis
Sedibus adspiciet nepotes.

1784.



ELOGIUM

EGBERTI DE VRY TEMMINCK.

Scilicet innumeri turbant mortalia casus,
  Et trahitur variis vita molesta malis.
Qualiter Iōnio volvuntur in aequore fluctus,
  Truditur atque undis mobilis unda novis:
Qualis hyems trepidas agitat per pascua frondes,
  Dum queritur solis ales in arboribus:
Non secus instabiles fatis properantibus anni,
  Et fugiunt celeri gaudia vana pede.
Illustres titulos, et opimos quaere triumphos,
  Attalicas cumula non satiatus opes,
Regales imitare domos, et eburnea tecta;
  Dum loquimur, vitae pars quotacumque perit.
Effera mors certas novit vibrare sagittas,
  Falcibus et rapidis optima quaeque metit.
O quoties vario concussa Batavia luctu
  Ingemuit damnis exanimata novis!

) quoties priscis Libertas clara tropaeis
  Jam sibi clamavit viscera viva rapi!
Vix bene magnanimi cineres atque ossa Capelli
  Ceperat angusto lurida testa sinu.
Vix bene sedarat meritos pater Isala questus,
  Amstela quum tumidas fletibus auget aquas.
Nobilis en patriae custos TEMMINCKIUS urbis
  Pascit inexpletos praeda cruenta rogos.
Belgica tunc subito tremuerunt oppida motu,
  Quum peteret sanctum Parca maligna caput.
Quique viri magnos norant celebrare labores,
  Miscuerunt moestos Flevus et Ya sonos.
Tunc Rhodanus tanto nuper tumefactus amico
  In mare turbatas praecipitavit aquas.
Dira Pyrenaeis resonabat montibus Echo,
  Sequanaque infesto flumine vertit iter.
Libera tunc veteres iteravit America planctus,
  Vindicis interitum nec tulit orba sui.
Nos (quae sola gravi superest medicina dolori)
  Solemur lacrymis anxia corda piis.
Eja agite Amstelii, sacram properemus ad urnam,
  Grataque pallenti munera demus humo.
Scilicet asseruit qui publica jura parentum,
  Nec regum insidiis nec tulit ense premi;

Am-

Amstela quem toties votis precibusque petebat,
Amstelia meruit Posteritate coli.
Temminckii cineres, tacita tellure reposti,
Quîs capitur nigro limine blanda quies,
Ne pigeat gemitu tenebrosa silentia rumpi,
Sumereque e grata debita dona manu!
Tuque anima, aeterni jam laetior incola coeli,
Accipe sollicitae flebile mentis opus,
Et licet ambrosiis resonet tibi cantibus aether,
Ne spernas Musae murmura rauca meae!
Per te laeta venit Juveni mihi fama canenti,
Panditur et studiis area lata meis.
Invidiae tu saeva dabas contemnere tela,
Gaudiaque Aonidum non inhonora sequi.
Sed tamen Amsteliis levis haec jactura fuisset;
Si foret haec meriti summa caputque tui.
Te patriae vocat Ya patrem, columenque Batavûm
Consiliumque petit Belgica tota tuum.
Te miser abjectis luget Cyllenius alis,
Et timet irato credere vela mari.
Te Clarii flevere lacus, te Castalis umbra,
Dum sedet invisis sola Thalia jugis.
Orbaque Religio te vindice plorat ademto,
Errat et atratos dilaniata sinus.

Afri

Africa te revocat, te postulat Indica tellus,
Heu nimis externis praeda relicta viris.
Navitaque Eoi properans ad litora Solis
Tristia Gangetis funera deflet aquis.
Memnoniosque tenent lacrymosa silentia montes,
Barbaraque insolitus pectora torpor habet.
Et merito: quis enim tanti senis audeat haeres
Publica inexperta fraena tenere manu?
Ponderaque Herculeis longum tolerata lacertis
Quis valeat collo sustinuisse suo?
Quis regat incolumem scopulosa per aequora puppim,
Dum lacerant quassam ventus et unda ratem?
Illius innumerae decorabant pectora dotes,
Qualibus illustres enituistis avi!
Illius innocuae vernanti in flore juventae
Insolitus patriae corda movebat amor.
O quoties veterum stupefactus imagine patrum
Artifici heroas vidit in aere manus!
Ruterum quoties tacitis veneratus ocellis,
Cursaret sacros dum puer ante rogos!
Illius incendit teneram vis enthea mentem,
Multaque jam tanti signa vigoris erant.
Sedulus et caussas rerum penetrabat opertas,
Ingenium et potuit nil latuisse sagax.

Ac

Ac velut assidua poliuntur iaspides arte,
Expoliit mentem lima severa rudem.
Grotiadae exemplum primis sibi legerat annis,
Et fuit hic studiis unica norma suis.
Seu vigili annales libuit pervolvere dextra,
Temporis et cani facta decora sequi.
Regnorumque obitus secum meditatus et ortus,
Quaeque juvant populi commoda, quaeque nocent.
Palladis ut doctae vigeant et Apollinis artes,
Quum veniat meritis gloria justa viris.
Undique ut immensas effundat Copia dotes,
Quum nitet inculta rustica mensa dape.
Ut fera luxuries aulas populetur et urbes,
Quaque venit, cunctos in sua fata trahat.
Legibus aut reputans quae sit reverentia priscis,
Quae populo aut natis debita, quaeque sibi.
Foedera quid valeant, quâ tristia lege gerantur
Praelia, et indomito num sua jura mari.
Cecropidumve colens leges, seu jussa Lycurgi,
Scitave Romano quae viguere foro.
His animum studiis magnos formabat ad ausus,
Hinc petiit famae pabula prima suae.
Praeditus his patriam firmavit dotibus urbem,
Amstelii repetens jura sacrata fori.

Non

Non hic sacrilega defendit crimina lingua,
Non inopes opibus destituitque suis:
Nec cupiit parvo miserorum vivere censu;
Vultur ut obscoeno diripit ungue dapes.
Probra neque Antoni metuit, Verrisve furorem,
Misit at in meritum fulmina justa caput.
Pauperis ô quoties lacrymantia lumina tersit,
Orbaque constanti pignera texit ope!
Innocua quoties solvit cervice catenas,
Demsit et integris vincula foeda viris!
Seu mage commissa est juveni fortuna reorum,
Caussaque judicibus inspicienda novem:
Mascula seu sanctos tenuit facundia Patres,
Dum foret augusti pars bene magna chori:
Seu trabea ornatum laetae accepere Curules,
Dum peterent curas publica vota suas:
Illius Amsteliae vindex manus adfuit urbi,
Et stetit oppressae firma columna rei.
Alter in immeritos jaculetur fulmina cives,
Ut tremat ad nutum subdita turba suum;
Surdus et afflictas depellat ab aede catervas,
Et patriam armato milite turbet humum.
Scilicet huic agitant violatae corda secures,
Et Tyriae vestes anxia membra gravant.

Civicaque incertam cruciant suspiria mentem,
Et rumpit somnos rauca catena leves.
Ille sed, indignae nunquam sibi conscius artis,
Amstelidum stabili tutus amore fuit.
Nam velut infirma qui trajicit aequora pinu,
Et maris et Boreae mutua bella notat;
Dumque studet vastae rabiem vitare Charybdis,
Non minus et Scyllae coeca pericla fugit;
Haud secus insidiis latitantes expulit hostes,
Publicaque assidua damna levavit ope.
Hic Gracchi furiale genus, nova regna parantis,
Sprevit, et occultae dona timenda manus.
Sprevit et incertam vulgi mutabilis auram,
Mollia dum stimulis corda tribunus agit.
Nec tulit auratas populum tolerare catenas,
Nec tulit Auriacae vimque minasque domus;
Qualis et annoso consurgit vertice quercus,
Nec timet irati flamina saeva Noti:
Ac velut aëriae minitantur nubibus Alpes,
Dum lacerant rigidum fulmina vana latus:
Talis et heroam tenuit constantia mentem,
Non auro aut ullis exagitata dolis.
Non illum injustae Britonum movere querelae,
Scriptaque regales testificata minas.

Non furiae, Bronsvice, tuae, non Principis ira
  Inpavidum poterant flectere mentis iter.
Scandit et Auriacas ut Barneveldius arces,
  Candidius pura cui nive pectus erat:
Sic dubiae penetrale adiit TEMMINCKIUS aulae,
  Acturus caussam, prodite Belga, tuam.
Roma, triumphatum quondam dominata per orbem,
  Suspiciat veterum provida jussa patrum.
Amstelidum parili floret gravitate senatus,
  Factaque TEMMINCKI non minor ornat honos.
Scilicet haec gladio vinclisque coërcuit orbem;
  Consilio Amsteliis res peragenda fuit.
Haec facili tenuit populos ditione subactos,
  Quos famulo vidit procubuisse pede;
Illa sagax domuit socios ratione superbos,
  Regnaque Belgarum vincere nata domos.
Haec fuit Ausonidum victricibus aucta catervis,
  Et tulit huic junctam Vesper et Ortus opem;
Illius invidit crescentibus aemula votis
  Europa, immensis insidiata bonis.
Hanc natura novo decoravit daedala cultu,
  Praebuit et pleno munera mille sinu,
Arcuit et longis externos montibus hostes,
  Et gemino cinxit rura beata salo;

Illa levi fundata solo, cannaque palustri,
  Ludibrium pelago, ludibriumque Noto,
Perdomuit fluvios, et avitas flore paludes
  Vestiit, Haemonium progenuitque nemus,
Struxit et in medio veneranda palatia fluctu,
  Et mare praescriptas jussit adire vias.
Tullia quod priscae tribuit sapientia Romae,
  Hoc tibi TEMMINCKII cura, Batave, tulit.
Hic tibi longaevae devovit tempora vitae,
  Membra neque immensum fortia fregit onus.
Nulla catenatas minuerunt gaudia curas,
  Praetulit aut patriis otia grata focis.
Harlemias quercus, tacitaeque silentia sylvae
  Testor, et umbrosis tempora trita jugis;
Villa fatigatum gelidis ubi fovit in umbris,
  Parva quidem, magno sed satis apta viro.
Hic seu mane novo, tacitae seu tempore noctis,
  Consuluit famae, Belgica quassa, tuae.
Seu secum Eoae repetebat munera terrae,
  Barbaricosque dolos ingeniumque soli,
Tenderet ad patrias quo navita ditior oras,
  Mercibus et starent horrea plena novis.
Sive animum occiduae tenuerunt commoda gentis,
  Quae tulerat collo vincla Britanna suo:

Pac-

Pactaque praescripsit, toto mox orbe probanda,
Arte nec Anglorum, nec temeranda minis,
Libera sic socios ut haberet America Belgas,
Utraque et alterna terra vigeret ope.
Seu nova degeneris recolens contagia secli,
Quîs silet auratis lingua retenta dolis,
Ingemuit, rigidis celebrata parentibus olim,
Limina adulantes nunc tolerare greges.
Dicite, Sparniades, quondam sua numina, nymphae,
Quae fuit augusto maxima cura seni.
Dicite, quae justis resonabant antra querelis,
Dicite, quos gemitus mobilis aura tulit.
Forsitan et lacrymis, vestras dum sedit ad undas,
Vidistis tremulas immaduisse genas.
At licet auxilio patriam precibusque levaret,
Profuit exemplo non minus ipse suo.
Quosque petit veterum mores praetexta Batavûm,
Ingenui docuit vita pudica viri.
Quid? quod et austeri veneratus scita Catonis,
Luxuriem parca jussit abesse domo.
Turpiaque externae contemnens retia gentis,
Retulit intonsos sobrietate Patres.
Fama Coruncanos referat, Curiique Penates,
Rastraque Fabricii, Scipiadaeque boves,

Hos patria tenues aluere sub arbore fruges,
Dum foret exiguis Roma beata bonis.
Ille sed effuso circumdatus undique luxu,
Mensa Lucullea dum stetit aucta dape,
Dum Paria aurato fulgebant atria cultu,
Qui proavûm vixit moribus, unus erat.
Quid? quod et antiquas animavit sedulus artes,
Belgarum et meritis praemia digna dedit.
Illius auxilio patrii fuit aucta Lycei
Gloria, vicinis invidiosa locis.
Illius auxilio Sophien celebramus avitam,
Et Themis ornatu splendidiore nitet.
Jam Latii sermonis honor, jamque Attica Pitho
Floret, et Amstelia spargit in urbe jubar.
Et licet hanc donis captaret Leida beatis,
Detinuit dextra deficiente senex.
Quid? quod et ingenuis stimulavit corda Poëtis,
Cinxit et ornatas frondis honore comas.
Non tamen augustos adulatrix Musa Penates
Serviles subiit docta sonare modos.
Sed nova magnanimos celebrabant carmina Brutos,
Ut quaterent grandi languida corda sono.
Blandaque Caesareae monstrabant retia turbae,
Ne possent animos illaqueare rudes.

Hinc

Hinc praetextatos stupuit pater Amstela vates,
Nec fuit innocuas crimen amare Deas.
Belga neque indomiti nutum metuebat Agyrtae,
Vestiit at Clarios purpura sacra choros.
Nobilis et Procerum stimulis animata juventus
Gaudebat doctis invigilare sacris.
Atque utinam immites traxissent fila sorores,
Quanta forent doctis dona parata viris!
Quantaque jam reduces sequeretur gloria Musas!
Obstitit at coeptis atra senecta piis.
Obstitit ingentum domitrix truculenta virorum,
Risit et ardentes mors necopina preces.
At quamvis misera confusa Batavia clade
Ingemuit nigrae tempus adesse necis,
Solus hic humanos fortis tolerare labores
Non timuit coecas mortis adire vias.
Sed placidum petiit post multa pericula portum,
Qui maris insanis non agitatur aquis.
Adspicit ut patriam laetus de rupe viator,
Praeteritae recolens taedia mille viae;
Rusticus utque gravem deponit vespere stivam,
Fessaque jucundo membra sopore levat.
Cernite, ut extremo prostratus membra cubili
Jam parat obscurum non rediturus iter,

Undique funestae complentur fletibus aedes,
  Turbaque roratis adstat amica genis.
Ipse jacet teneris agitatus pectora curis,
  Grataque pallenti regnat in ore quies.
Invalidi saevis quatiuntur febribus artus,
  Aegraque lethalis concutit ossa dolor.
Ast anima, aeterni suspirans limina coeli,
  Corporis ingratum ponere gestit onus.
Dum tamen adspectat lacrymas gemitusque suorum,
  Solatur placidis anxia corda sonis.
» Parcite flebilibus mentem laniare querelis,
  Parcite, quis fletu ferrea fata movet!
Grata neque indignas poscit Libitina querelas,
  At senibus laetis est celebranda modis.
Illustres titulos opulentaque munera linquo,
  Quidquid et immensus gratius orbis habet.
Mens tamen, illecebris dudum satiata caducis,
  Exoptat vitae jam melioris opes.
Linquimus at patriam lacerantibus undique rixis;
  Haec cruciat sensus unica cura meos.
Vidi ego magnanimis pacem adspirare Batavis,
  Dum fluerent largo dona benigna sinu.
Vidi ego subjectos proavorum Marte Tyrannos,
  Et fracta ad nostros sceptra jacere pedes.

Vi-

Vidi ego et Anglorum stimulatos arte nepotes
Post modo devictis gentibus esse jocum,
Brutorumque rogos venerandaque busta Catonum
Calcantum ignavo contemerata pede.
Si tamen et superi terrena negotia curant,
Hanc animam patriae mox quoque tanget amor.
Nam licet exigua cineres condantur in urna,
Exuviasque meas pulvis et umbra tegat,
Spiritus excelsas ibit generosus ad arces,
Scandet et aeterni limina sancta chori.
Hic secura quies viget, ac divina voluptas,
Hic acuet sensus purior aura meos.
Aethereas animae celebrant super astra choreas,
Laetaque coelesti carmina voce canunt.
Fallor? an ambrosio resonant modulamine nubes,
Implet et attonitam vox numerosa domum?
Cernite, amicorum descendit ab aethere turba,
Amplexusque meos turba beata petit.
Cernitis? en properat Divûmque hominumque voluptas;
Splendidus augusto fulgor in ore micat!
Hei mihi qualis adest! quantum diversus ab illo,
Sanguine Idumaeam qui madefecit humum!
Aurea Majestas! divinae gratia formae,
Gratia mortali non referenda sono!

Jam mihi, jam blandis arridet laetus ocellis,
Dicit et insolito murmure, » care veni! »
Nulla mora est! venio, venio tuus, optime Divûm!
Solve salutifera tu modo vincla manu!
Quid loquor! aut ubi sum! jam jam mihi summa patescunt
Atria — jam surgunt nubila — terra vale! »
Dixerat. excelsas animus properabat ad oras,
Luridaque ignavae membra reliquit humo.
Salve anima! aeternae salve novus incola sedis,
Quem mulcet nullo laesa dolore quies!
Dum licet, intersis populo patribnsque Batavûm,
Et mala de nostris damna repelle focis!
Dum proavûm superabit honos, dum sancta tueri
Pignera, erit populi maxima cura tui,
Te patriae patrem servatoremque canemus,
Accipient lacrymas et tua busta pias.

1785.



VIRO

VIRO NOBILISSIMO

DANIELI HOOFT,

IN URBE AMSTELAEDAMENSI JUDICI
AC SENATORI CREATO.

Vir fraudis expers, et nivea fide,
Pravique purus temporis artibus,
Qui laetus aularum beatas
Spernit opes, animumque vincit;

Sacraque felix sub nemorum coma
Spectare rupes carmine concitas,
Qua cantat aeternos triumphos
Aeoliis fidibus Thalia;

Qui tactus almi servitio soli,
Qua liber olim vagierat puer,
Patrumque contemplans sepulcra,
Flebile ludibrium tyrannis,

Ri-

Ridet potentum fulmina Caesarum,
Ridet secures et gladii minas,
Tollitque dejectos nepotes
Et rutilas minuit catenas;

Hic astra cursu corripit igneo,
Regum superba sorte beatior,
Spernitque mortales labores,
Invidiae domitor rogique.

Deserta qualis saxa perambulat,
Telis petitus sanguineis leo,
Jubasque diffundit comantes
In Libyeis dominus cavernis,

Qualisve pernix alituum gregis
Regina, custos fulminis aurei,
Fastidit umbrosos penates
Et colubrûm latebras pigrorum;

Jam puriorem suspicit aëra
Confisa pennis, jam scopulos super
Nubesque et infernas tenebras
Sidereos volat inter ignes.

Hinc

Hunc te Catonum praesidio ferox
Jactat propinquis Amstela Nalsin,
O Hooftiorum flos nepotum!
O stabilis patriae columna!

Cui corda virtus mascula roborat,
Virtus vetustis firmior Alpibus,
Calcare sceptrorum nitorem
Quem proavûm monuere cerae:

Cujus malignis non eget artibus
Pectus recenti candidius nive,
Sperare et intactos honores
Quem Clariae docuere noctes.

Hinc fascibus te jam decorant Patres,
Quos pallet Indus, mollis et Aethiops,
Sellasque decernunt avitas,
Praeside magnanimo beatas.

Pro te, labantis vindice gloriae,
Flentes Olympum suspiciunt senes,
Dulcisque praecones juventae
Ingenuos memorant Batavos.

Te casta virgo, te genitrix refert,
Oblita curas conjugii graves,
Balboque te monstrat nepoti,
Atque animos agitat tenellos.

Aestu Juventus insolito calet,
Splendorque vultum nobilis occupat,
Clamore dum ripae favente
Te patriae resonant parentem.

Felix, tuetur quem pietas tua,
Invisa spernens arma satellitum,
Cui fida Belgarum voluntas
Ambrosios tribuit sopores!

Felix, relicti dum subeunt dies,
Cui pectus angit non pudor aut metus,
Qui laetus instantem senectam
Adspicis, instabilemque mortem!

Qualis, benignum dum videt Hesperum,
Fesso colonus regreditur bove,
Pensoque gavisus diurno,
Phyllidis in gremio quiescit.

Te

Te Fama, spretis Invidiae minis,
Rodentis uncis optima dentibus,
Extollit audaci volatu, et
Amstelios licet herba muros

Condat, vel atro murmure noctua
Turbet domorum furva silentia,
Consperget heroum propago
Rara tuam lacrymis favillam.

1786.



ODE

ODE

AD GALLOS,

PUBLICA LIBERTATE INSTAURATA, D. XIV JULII A. CIↃIↃCCXC.

Quis corda fervor concitat? an Deus
Descendit astris? auferor, auferor!
Non ante vulgatos per orbem
Quis populus peperit triumphos?

Aeterna vivat progenies Remi,
Victrix sepulcri, vix superis minor,
Quae damnat Euphratem catenas
Ferre suas, trepidumque Rhenum.

Immittat orbi fulmina libero,
Turbetque laetis otia gentibus,
Orbata dum conjux marito,
Serva diem lacrymis salutat.

Non

Non hic catenae, non gemitus sonant,
Sed martialis murmura buccinae,
Heroa queis jungit propago
Carmina coelitibus probanda.

Sol alme, lucis purpureae dator,
Fervente sanctum siste diem rota,
Cui cana non videre saecla,
Postera nec similem videbunt!

Hic ara, verno roscida cespite,
Surgit, ligatis non sine floribus:
O blanda majestas, honore
Pontificum potior superbo!

Ne tangat aram, qui docili jugum
Cervice gestat, vel madet impia
Cui dextra civili cruore:
Ingenuis procul ite sacris!

Secura natos admovet, en! parens,
Cano renidens haeret avo nepos,
Focosque festinant uterque
Supplicibus cumulare votis.

En! laeta spargit lumina fletibus
Amplexa mater pignora libera,
Et aemulans palmam decoram,
Damna senex queritur senectae.

Hic cultor agri conjugis it comes,
Devota prisci fragmina dum jugi
Offert, et immunes paterni
Ruris opes nitidis canistris.

Hic nuda cultu nobilitas suo,
Nigras parentum ponit imagines,
Vanosque saeclorum triumphos
In cinerem pia flamma vertit.

Nativa virtus, ingenuus vigor,
Pulcro colorant lumina fulmine,
Dum jurat: » Una restitutae
» Vivere sit patriae voluptas!"

Nunc scandit altos Relligio focos,
Pectus recenti candidior nive,
Monetque pallentes ministros
Ferre Deis animum pudicum.

Ja

Jam diva sacram pellit inertiam,
Aurumque fallax, et vetitas preces;
Gazasque depromit sepultas,
Nobile pauperibus levamen.

Fugit voluptas juncta tyrannidi,
Mentita coelum, pasta cruoribus,
Blandumque detestata solem,
Scaldi, tuas repetit cavernas.

I, tolle celsum, Sequana, verticem;
Laudes stupescat jam Tamesis tuas,
Nereusque Gallorum tropaea
Montibus Hesperiis calebret!

Adsurgit alto mox Lodoix gradu;
Augusta manat lacryma per genas;
Pandensque regales lacertos,
» Ad patrium properate pectus,

„ Dulces alumni; clamat! amabilis
» Nos jungat aequo foedere gratia:
» Spectent inauditos amores
» Laetus Arabs, Tanaisque potor:

 » Qua-

» Qualis tenellis provida foetibus
» Incumbit ales, ne noceant nigri
» Dentes draconum, mox adultos
» Evocat aethereo volatu:

» Sic vestra regum consilio prius
» Crevit juventus; nunc sapientia
» Dum firmat annos, ite saeclis
» In stimulum et specimen futuris!

» Nunc jura seris scribite posteris,
» Gentemque sanctis tollite moribus:
» Haec dextra vicinis tyrannis
» Terror adest, populique vindex.

» Vos ô tremenda qui quatitis manu
» Regale sceptrum, discite, discite
» Lenire civiles querelas,
» Et tumidos cohibere fastus!

» Vos cara lecti pignora regii
» Testor! meorum vos animae patrum!
» Audite, fallentemque regem
» Tartareis agitate flammis."

Quae

Quae laurus, aut qui splendor imaginum
Te tollat astris, optime principum!
Te, blanda terrarum voluptas,
Queis populi titulis salutent?

Tollit superbas jam Rhodanus comas,
Plaudunt Gebennae mota cacumina,
Imisque concussae cavernis
Te rigidae venerantur Alpes.

O magna fractis Gallia vinculis!
Europa spectat te genibus minor:
Te, gentium regina, cantat,
Servitii domitrix aviti!

Miratur atrox te Britonum genus,
Iberque et Indus, te levis Aethiops,
Te Medus ardens, te Batavus,
Digna tuo soboles triumpho!

Quid, Brute, cessas? quid miseras colis
Orci tenebras? indomiti tacent
Cur busta Cassi? cur quietis,
Magne Cato, latitas sub umbris?

Insonte jam non Pharsalii tepent
Cruore campi; non Libyae juga
Armis refulgent; nec sepultas
Caesareus ruit ensis urnas.

Minantis, acer terga tyrannidis
Infestat ultor; jam thalamo timent
Stirpique reginae potenti;
Jam lacerae titubant curules.

Accendit aures fulmineus graves
Clangor tubarum; jam populos nova
Ad arma serviles, ad arma
Progenies animat Catonum.

Vides? cruentis e tumulo comes
Adsurgit umbris umbra Colignii,
Quas inter Henricus renatam
Aethereo probat ore prolem;

» Sic, sic negatum carpite tramitem,
» Quo clamor orbis provocat et fides:
» En! laurus aeternis ligata
» Coelicolum manibus refulget.

» Astr

» Astraea, regum tuta sub aegide,
» Augusta patrum pectora suscitet;
» Ornetque florentis juventae
» Membra vigor, pietasque mentes."

Cantate festos vos populi modos,
Queis rapta proles, queis trepidi lares
Sensere regnantum furores!
Jam dominos pepulit feroces,

Quae sole tellus occiduo calet;
Ganges vetustum mox minuet jugum;
Mox sancta Libertas nivosam
Indomito petet igne Thulen.

1790.



EPISTOLA HORATIANA

AD

VIRUM NOBILISSIMUM

JACOBUM HOOFT,

DE NATIVITATE FILIOLI.

Ut celer aethereas Jovis armiger exit ad arces,
Dum patriae vires et amoeni tempora veris
Intendunt teneras Zephyris mulcentibus alas;
Forte sed agresti mutilatus terga sagitta
Desilit in terras, nec jam loca nota nec auras,
Litoreas sed captat aves ranasque palustres:
Aut velut Aemathiis fugiebat Horatius umbris,
Brute, tuas aquilas ultriciaque arma secutus,
Tiburis et coluit posthac vetus arva tribunus:

Sic mihi dos Phoebi (quid enim conjungere lauris
Vimina parva vetat?) periit Septembribus Euris.
Tollimur interdum solitosque resumimus ignes,
Pes tamen obscoena mox debilis haeret in ulva.
Pulsa peregrinas nisi Pieris ire per oras
Jussa foret, vestri canerem nova munera lecti;
Ut genitrix, blandis dum porrigit ubera labris,
Nunc teneram aspiciat sobolem, vultusque paternos
Miretur, tepidoque sinu sua pignora condat:
Nunc, dum lingua stupet, coelo lacrymantia tollat
Lumina, quis pueri fugitivum proroget aevum:
Utque tibi (vivat modo) pendeat oscula circum,
Blandus et innocuis genitorem vinciat ulnis;
Seu comes aestiva tibi garrulus adsit in umbra,
Naturae miratus opes, terraeque colores,
Impleat et monitis puerilia corda paternis.
Hos ego Pierio canerem modulamine lusus,
Musa sed ad sonitus delabitur aegra pedestres,
Et grave dum meditor, levis exit epistola, carmen.
At licet illa neget te carmina judice digna,
Quis vetat inculto cunas celebrare susurro?
Comprobet haec facili nutrix modo sedula nutu!
Dumque alii repetunt generosi tecta patroni,
Notaque jejuna renovant praeconia lingua,

 Hos-

Hospitis ut liceat buccas implere superbi;
Te peto, care puer, facilesque tenentia Divos
Vota fero, patrias dum tu vagitibus aures
Allicis, et vultu solem lacrymante salutas.
Tu magis, ereptus tenebris et publica scandens
Pulpita terrarum, fluitantia lumina sistis,
Et meliora paras meditanti pabula menti,
Quam si quis veteri Lamiarum stirpe superbus,
Aut auro gravis, et meritis male fretus avorum,
Occupat augustas in publica damna secures.
Haec igitur (nam sic mecum) pars quantula gentis
Humanae, Superûm aeternis inscripta tabellis!
Hanc pater ipse Deûm, quem suspicit orbis et aether,
Detulit in terras, summoque addixit Olympo!
O ubi tecta levi sub corpore, tecta sopore,
Mens aeterna latet, Divûm de semine nata,
Quae penetrat nubes, populosque et saecula lustrat,
Quam neque pestis edax, neque busta, aut longa senectus,
Perdere nec poterit violenti Caesaris ira!
Quae Superûm te dona manent? quae nubila soles
Inficient? Mariusne jaces, an Marcius alter,
Quem Minturna palus capiet, Volscive subacti?
An fractas plorabis opes, turpemve repulsam?
Lenta premet num te pituita, an fervida bilis?

An

An domus imberbem rapiet Plutonia, spargat
Quam misera undanti lacrymarum flumine mater?
Millia (ne dubites) instant incommoda, si te
Tithono socium jungat damnosa senectus!
Barbara Caucaseis (si vera est fabula) saxis
Turba senum ac juvenum, lucem simul aspicit infans,
Sollicitis patrias implent ululatibus auras:
Sanior at si quis Stygias festinat ad undas,
Cantibus hunc festis hilares comitantur ad urnam.
Num laetos igitur lacrymis foedare Penates,
Ambrosiumque decet gemitu turbare soporem?
Non ita. si quis enim morbosus spreverit hospes
Ostrea Lucrini, stomacho quis crederet aegro?
Aut oculis si quis genitricis ab ubere captus
Despiciat Tyriam chlamydem, sumtoque triumphet
Tegmine Taenario, misero quis judice fidat?
Errantes veluti mater regit anxia gressus,
Ne lapis, aut rigidi lacerent vestigia vepres:
Sic Pater aeternus, miserae spes unica prolis,
Seu via per campos et amoena rosaria ducat,
Seu per inaccessas cautes et inhospita lustra,
Ipse comes placidas fessam deducet ad umbras.
At tibi quae Divûm (nam res ita postulat) optem
Munera? num Pluti nitidos augere clientes?

Mens

Mens stat in ambiguo; quid enim si Lydia gaza
Non potuit duras Croesi minuisse catenas?
Umbraque contemtis Crassi nova victima Parthis
Illecebras Stygiis nummorum devovet oris?
An patriam gladio libertatemque tueri?
Brutus at et Magnus, Romae dilectus uterque,
Ille jacet Phariis in sentibus, ille Philippis!
At pulchrum, ingenio pollens sapiensque vocari!
Si juvat hoc; ne quid posthac sapientia felix
Postulet, o faciles superaddite ferrea Divi
Viscera, Socraticam bene concoctura cicutam!
Deprecer an lacrymas nebulosaque tempora vitae?
Providus at si quis medicus tua cuspide scindat
Ulcera, succorum vires spernentia et herbas?
Quid fugias? ferrum? an tristes cruciatibus annos?
Ne longum faciam; gelidas qui trajicit Alpes,
Pauca viatori sat erunt bona: membra pruinis
Aspera, par oneri mulus, manus ense parata,
Et modicum argenti pondus, jejunia ventris
Ne macerent inopem, nimium neu tardet euntem.
Sic tibi dent Superi stomachum, nervosque valentes,
Sitque domus domino satis apta, et munda supellex,
Aurea quam dapibus sapientia adornet inemtis!
Mens tibi sit constans super his, majoribus aequa,

Quae

Quae neque regalem, vulgi neque suspicit auram,
Nec solas metuit sylvas, urbisque tumultus,
Quae media sibi nocte placet, nec, qua sit eundum,
Negligit, et mortem coeli vocat optima dona!



OPTIMAE CONJUGI

CORNELII LENNEPII,

PUERPERAE.

Nunc myrti decorent tempora; candidi
Lennepi thalamis, en, properant dies!
Ridet filia matri
Multas post lacrymas nova.

Curarum nebulae diffugiunt, genas
Jam Cypris roseas, jam repetit Charis;
Blandis implicat alis
Insomnes oculos sopor.

Qualis sollicitas post hyemis minas,
Dum lauri periit, dum violae nitor,
Nudis gratia sylvis
Vernis cum Zephyris redit.

Felices numerat jam genitrix dies,
Et mentem placita mulcet imagine;
Plenas lacte mamillas
Ridens dum soboles petit.

Nunc lusus hilares fingit et oscula,
Nunc oris teneri virgineum decus,
Laetis mixta puellis
Dum spissas nemorum vias

Lustrabit, faciles seu celebret choros,
Seu cantu volucres captet amabili,
Castae flamma juventae,
Et gratus Dryadum stupor.

Materni reticent anxia pectoris
Tunc suspiria, tunc induit aureos
Rursus terra colores,
Et lunae melius nitent.

Manpadî (*) sobolem vos tumuli novam,
Vos dulcem dominam suscipite in sinu,
Ut laetante sub umbra
Aetatis redeat vigor.

(*) Manpadium (*'t Huis te Manpad*) villa Lennepiana.

Ludentem in vitreo rore Favonius
Infantem variis cingat odoribus,
Mellitosqne sopores
Argutae pariant aves.

Lennepi soboles sic vigeat pia!
Sic matris decus et deliciae patris
Cara fronte retardet
Rugas et capitis nives!

1792.

SCH

SCHULTENSIO

DEFUNCTO

S.

Ite piae lacrymae (non est rubor) ite per ora,
Et tumulo meriti reddite justa viri.
Jam licet inferni vos rideat ira tyranni,
Et Phlegetontei vos bibat ulva lacus,
Postulat ingentes ingens jactura querelas,
Et lacrymis luctus triste levatur onus.
Tu meritos mecum, pater Amstela, junge dolores,
Tu mecum patriae publica damna refer.
Ille tuae quondam splendor SCHULTENSIUS undae
Occidit, et carum nox premit atra caput.
Tot bona, tot laudes, tot amabilis aurea cordis
Munera ferali contegit urna sinu.
Urna tegit dotes regali pectore dignas,
Aethereos possent quaeque decere choros.

Qualis Hyperboreae gelidis in rupibus axis
Nix nitet, humano non temerata pede;
Talis erat nullo virtus maculata pudore,
Talis in ingenuo pectore candor erat.
Ingenium vivax, nulla caligine vinctum,
Lustrabat celeri saecula cuncta fuga,
Cecropiae colles, seu Tibridis arva pererrans,
Seu Libani umbroso vertice serta legens,
Mentis et humanae caecas penetrare latebras,
Eloquioque potens flectere corda suo.
Rhene pater, doctae mirantem fulmina linguae,
Te memorant fluctus detinuisse tuos!
Dulcia seu pingit Nabathaeae munera terrae,
Et facili Eoas ore recludit opes,
Protinus attonitas furor igneus occupat aures,
Ardet et insolita tota corona face;
Ipsaque odoratas Panchaïa pandere valles,
Priscus et e tumulo surgere visus Arabs.
Sive Palaestinae juvenes deducit in umbras,
Rudera dum Solymae pulverulenta docet;
Qua lubet, indociles flectit modulamine gressus,
Infundens animis flumina viva novis.
Quid tamen haec prodest generosi mascula cordis
Copia? quid cives demeruisse suos?

Num

Num minus ante diem stygias calcavit arenas?
  Num minus interna viscera tosta lue?
Vos Zephyri molles placidique silentia ruris,
  Speratum moriens unde petebat opem,
Vos decuit misero longaevam adferre salutem,
  Languidaque adflatu membra levare novo.
Vos decuit curas recreare salubribus auris,
  Fletibus et madidas exhilarare genas.
Dicite vos Dryades (nam vos memorare potestis,
  Quae moriens vestro condidit ipse sinu)
Dicite, quae tremulo suspiria fudit ab ore,
  Votaque quae linguae deficientis erant.
Undique formosae vernabat gratia terrae,
  Risit et illecebris undique vita novis.
Inclyta SCHULTENSI volitabat fama per orbem,
  Et Rheni et Tamesis et stupor Albis erat.
Non tamen haec animum movit jactura virilem;
  Sed placida tantas mente reliquit opes.
Dulcia amicorum retinebant vincla morantem,
  Quos amor et pietas, quos benefacta dabant.
Hinc pia semianimem complexibus occupat uxor,
  Unica SCHULTENSI scandere digna torum:
Hinc soboles, tanto non inficianda parenti,
  Illius et monitis usque tuenda, tenet.

Dum videt has, lacrymis morientia lumina manant,
Et tenerae prolis fata futura movent.
Attamen has inter lacrymas gemitusque suorum,
Sustinet aeterni provida cura Dei.
Quique sacras Solymae maculavit sanguine rupes,
Hic lassi requies pectoris unus erat.
Quem juvat, augustos regum veneretur honores,
Quîs venit humano sanguine partus honor.
Quem juvat, heroi stupeat monumenta furoris,
Pectoraque adversis obsita vulneribus.
Scilicet his litui canor et furialis Enyo,
Et rabidus famae corda perurit amor.
At dulces telluris opes, sobolemque, torumque
Qui videt, et summum firmus adesse diem,
Heroum hic titulis et regum divite fastu
Altior, in terris hic mihi numen erit.
Felix SCHULTENSI, cura resolutus ab omni,
Tempora qui sanctae plena quietis agis!
Non tua serviles onerabunt colla catenae,
Nec dominus nutu libera corda premet.
Dumque enses rapiunt pueros, dum flamma penates
Undique ferales dum cecinere tubae,
Barbaricae quamvis pulsent tua busta phalanges,
Non rapiet somnos murmur inane tuos.

Feli

Felix SCHULTENSI, cui candida turba piorum
Non negat amplexu colloquioque frui;
Inter et hos carum qui contemplaris IESUM,
Candidius quo nil orbis et astra vident!
Felix SCHULTENSI, lacrymis quem grata juventus
Ornat, et extinctum quem vocat orba patrem;
Cujus et excelsis regum non aemula bustis
Urna capit Batavae libera dona manus!

1793.

IN EFFIGIEM

J. B. BICKERI.

Aspice BICKERUM, patria tellure carentem,
Nunc quoque Belgarum quem comitatur amor.
Nobilis augustum signat constantia frontem,
Priscus et ingenuo candor in ore nitet.
Hunc virtute parem proavis, odioque tyranni,
Optabat Brutis addere Belga suis.
Torrida regali deërat modo fulmine laurus:
Hoc dedit Auriaci principis ira decus.
Amstelii plaudunt cives, animaeque parentum:
Convenit haec magnis sola corona viris.

JOANNI CRAMER

ET

ELISABETHAE JACOBAE LUDEN,

SPONSIS.

Mascula sic virtus, pietas et blanda ligantur:
  LUDIA CRAMERO jungitur apta suo.
Dignior haud juvenis talem conscendere lectum,
  Dignaque CRAMERO non minus illa suo.
Pura velut niveos ostentant lilia vultus,
  CRAMERI constans candor in ore sedet.
Ut rosa virgineo fulget per prata rubore,
  Illa verecunda simplicitate nitet.
Utque jacent fluctus, Aquilo dum continet iras,
  Et micat in tacito candida luna mari,
Utraque sic turpes non turbant corda procellae,
  Et facies placidi pectoris una manet.

Nil

l auri, vesana fames, nil caeca libido
  Efficere illecebris hic potuere suis.
istus, amor stimulis juvenilia pectora movit,
  Virginis et casto pectus amore flagrat.
e, suam firmis dominam dum detinet ulnis,
  » Te sine, ait, terrae munera nulla volo.
Te sine si vivam, claudantur lumina morte,
  » Aut miser in Scythicis montibus exul agam.
aque dum juvenem constringit » vivere tecum
  » Una voluptatis causa caputque meae.
Tecum longinquis libeat mihi vivere sylvis,
  „ Tecum straminea consenuisse casa."
lices sponsi, quos purior incitat aestus,
  Perdere quem tempus, nec fera fata queunt!
mpore forma perit, et opes Fortuna gubernat,
  Numinis at cultus quem regit, exstat amor.
edere quis possit juvenem teneramque puellam
  Golgotha terrarum praeposuisse bonis?
lgotha si subeant et hiantia vulnera Christi,
  Utraque divino corda calore flagrant.
ilicet hic primis fuerat pia cura sub annis,
  Foverat hic motu pectora bina suo.
c thalami custos manet et tutela Penatum,
  Hic vitae requies, hic medicina mali.

 Fe-

Felices sponsi, laetoque sub omine juncti,
Auspice quos tanto candidus urit amor!
Christe, tuos serva sponsos, tueare nepotes,
Tuque liges propria vincula casta manu!
Dumque tuae frigent arae, dum vulnera sordent,
Crameri aeternum sit tua templa domus!



ORATIO

ORATIO

DE

RUDENTI VETERUM POETARUM LECTIONE, OPTIMA VIRTUTIS ALTRICE.

ORATIO

DE

PRUDENTI VETERUM POETARUM LECTIONE, OPTIMA VIRTUTIS ALTRICE.

Omnes homines, qui corpore constamus et animo,
a sumus formati, ut utraque illa nostri pars quo-
diano usu excoli debeat atque augeri, et utrique
l recreandas vires quotidiana remissio sit neces-
ria; corpus, quod tarda est et ponderosa mate-
a, solo somno recreatur; divinus vero animus non
leo quidem quiete, quam facili et jucunda occu-
tione, quam vel sensuum vel imaginationis ope
bismet ipsi subministramus.

Haec igitur animi relaxatio non tantum non il-
ita, verum adeo utilis est et necessaria, ut, qui
m homini denegare vellet, ipsam animorum digni-
tem imminueret. Nonnulli tamen oblectamentis,
orum larga se passim offert copia, ita indulgent,
que tantopere se immergunt, ut ipsis non de-

lecta-

lectatio ad vivendum, sed vita ad delectandum data videatur. Proponas iis res, scitu quidem utilissimo, sed primo ad intelligendum difficiles, has ipsas, veluti taedii et molestiarum plenas, nulliusque plane momenti, illico respuent: tradantur iis scriptores, qui attente enucleati omnem veram pulchritudinem in se complectuntur, eorumque praestantiam data opera ipsis demonstres, hos etiam, tamquam humilis ingenii oblectamenta, audacter despicient: virtutem vero et pietatem si iis laudes, hujus quidem faciem adeo trucem et severam, adeo ab omni laetitia alienam sibi effingunt, ut solis senibus, quos vitae commoda non amplius movent, relinquenda, juvenibus certe, quibus et ipsum aetatis ver, et innumerae hujus terrae voluptates undique arrident, minime videatur toleranda. Hanc igitur praejudicatarum opinionum vim, quae eo altius juvenum animis inhaeret, quo magis unaquaeque urbs vel regio fortunae copiis abundaverit, atque adeo luxuriae se emancipaverit, profligare, atque sic ipsam virtutem non severis praeceptis taediosam, sed blanda oblectationum specie se commendantem exhibere et commendare conabor.

Di-

Dicam *De prudenti veterum Poëtarum Lectione*, *optima virtutis Altrice.*

Non ignoro quidem, magnam esse adversariorum copiam, quibuscum nobis sit colluctandum. Non ignoro, me in ea urbe veterum Poëtarum causam agere, in qua saeculi decimi sexti anno primo et vicesimo scholarum Rectori hoc fuit praescriptum, ut *doceret poëtriam Christi et Pauli prae omnibus somniis et figmentis Poëtarum*, quippe *quae magis expediret oblivisci*, *quam discere.* Sed idem non ignoro, me in eâ civitate coramque iis Auditoribus verba facere, qui, contemta superstitionis caligine, de antiquis Poëtis omnisque elegantiae studio tam benigne sentiunt, ut ipsae Athenae in Bataviam migrasse videantur.

Adeste itaque mihi, Auditores Humanissimi, non tantum attentis auribus, sed et animis benevolis, et, quod ingenii tenuitas meaque in dicendo infantia aut omiserit, aut minus bene proposuerit, id vestra humanitas aut expleat, aut excuset.

Omnis rerum natura certis regulis est adstricta et, quidquid ei pulchri insit aut decori, id non inconstanti hominum arbitrio, sed sanctissimarum legum incorrupta vi unice censetur; quin imo, licet in-

immensa rerum varietas multiplexque vocum discrimen confundant animos, et a germana simplicitate sensim abducant, vel sic tamen, tam moralium quam naturalium virtutum exploratori, unus apparebit ordo, una pulchritudo. His autem legibus ut sua constaret efficacia, Sapientissimus Naturae auctor ab ipsa rernm origine curavit: indidit enim animis mortalium acrem pulchritudinis sensum, ad laudatarum legum normam exactum; qui quidem sensus eam habet vim, ut tam in iis rebus, quae intellectu, quam quae sensibus percipiuntur, tam in pulchro, quam in vero bonoque dijudicando conspiciatur. Vulgare enim illud decori aut honestatis studium, quam aliam habet regulam, nisi quae ex eo ipso sensu originem trahit? Quid est ipsa virtus, nisi accommodata his legibus vivendi agendique ratio, quid, nisi vera moralis pulchritudo? Denique ipsa factorum conscientia, quae, si recte egimus, tranquillitatem ac laetitiam, sin minus, dolorem pudoremque affert, quid, quaeso, aliud est, nisi idem ille communis sensus, rerum praeteritarum memoria adjutus?

Illud vero omnino est notandum, hunc veri pulchrique sensum in omnium animis non eodem

vi-

vigore, eademque integritate vim suam exercere, sed eum ita esse comparatum, ut vel prudenti studio augeri atque emendari, vel negligentia aboleri aut perversa cultura deformari possit. Complura sunt A. A. tamquam corporis valetudo, aetas, alimenta, institutio, aliorum exempla, consuetudo, fortuna, aëris solique ingenium, et, quae primo loco memorari oportuerat, affectuum vehementia, quorum, uti in omnes animi facultates, ita in hunc sensum incredibilis est potestas. Quotidiana exempla illud satis evincunt: quotusquisque enim vel in rebus vulgaribus tam parum videt, ut pro bene ordinato inconcinnum, pro honesto turpe, pro sublimi ac magnifico humile atque abjectum continuo expetat! Quotusquisquc moralis pulchritudinis sensum, atque adeo recti pravique cognitionem tam corruptam habet, aut omnino nullam, ut res viles et abjectae ipsi momentosae, aut detestanda facinora cum sibi gloriosa, tum Deo accepta videri soleant! Longa sane infelicium saeculorum series, magna barbararum gentium multitudo, bella ac caedes pene innumerabiles, uti perversi hujus sensus testantur incommoda, ita opinionis nostrae veritatem confirmant.

Il-

Illud addo, eumdem hunc sensum temporum vicissitudinibus fuisse obnoxium, atque adeo nunc nativo splendore ubivis emicuisse, nunc vero adulteratum a pristina simplicitate degenerasse. Cum enim omnia, quae haec tellus continet, certa conversionum serie agitentur, caeteraeque animorum facultates nunc libere efflorescant, nunc jaceant quasi extinctae, numquid igitur unum hunc sensum humanis casibus exemtum existimemus? Ad animum revocate pristini temporis monumenta, et non sine luctu cognoscetis, omnes artes elegantiores, quae, natura duce, ad summam escendissent perfectionem, hoc pulchri sensu fugato, nativam simplicitatem exuisse, ac penitus evanuisse; quod dum discimus, illud simul apparet, veram virtutis culturam ac moralis pulchritudinis sensum una cum his artibus aut stetisse, aut cecidisse.

Ex iis igitur, quae huc usque in medium protulimus, primo illud jure conficere mihi videor, et pulchritudinis et virtutis unam esse indolem, unum eumdemque fontem, atque adeo, aucto pulchritudinis judicio, augeri etiam sensum virtutis; deinde hunc sensum, nisi sedula et prudenti expoliatur cultura, aut nativam praestantiam, aut omnem suam

vim

vim prorsus amittere. Nihil igitur aliud restat, nisi ut in ipsa juventute, quae sola fere utilium doctrinarum capax est, ad excitandum virtutis sensum excitetur pulchritudinis judicium; quod ut efficiatur, prae caeteris illi utilem esse veterum Poëtarum prudentem atque attentam lectionem, demonstrare conabor.

Adeat igitur adolescens ingenuus hos verae elegantiae fontes; assidue in iis versetur; quid in singulis pulchrum sit atque excellens, sedulo observet; id tamen, non taediosa argumentationum serie, neque solis magistrorum praeceptis, sed suo ingenio notare discat, ipsius naturae ductu Poëtarum praestantiam dijudicet, suamque experientiam sedulo consulat; haec sola opinionum norma sit ac magistra. Illud tamen diligenter caveatur, primo ne veras Poëtarum virtutes oculo fugace perlustret, deinde ne fictas elegantias pro veris, aut operosas recentiorum nugas pro naturali veterum simplicitate appetere aut admirari consuescat. Uti enim recta Poëtarum explicatione augetur hic sensus, ita jejuna eorum lectione aut superstitiosa admiratione a pristina integritate deflectit.

Huic vero exercitationi probe assuefactus adolescens

magistri doctrina, quam hactenus comitem habuerat, destituatur, et suo ipse ingenio fidem habere assuescat. Ita tandem hic sensus late dominabitur, et, in quamcumque rem incidat, ubique quid vere pulchrum, quid fucatum, quid honestum, quid turpe sit, vel primo intuitu perspiciet; in Virgilio admirabilem concinnitatem, modestiam, et sublimitatem; in Tibullo suavem et cultam simplicitatem; in Propertio Romanam majestatem; in Ovidio torrens dicendi flumen, in aliis alias dotes inveniet. Neque hoc studio tantum regnabit in Poëtis, verum etiam, qua in re Plato et Aristoteles, Xenophon et Thucydides, Livius et Tacitus vel conveniant, vel differant; uter nervosior sit, uter elegantior, in iis etiam locis, ubi abstrusior sit elegantia, sponte videbit. A bonis literis se ad alias artes, quae cum humanioribus literis commune habent vinculum, tamquam picturam et statuariam, se conferat; et, licet oculos adferat parum exercitatos, tamen praecipuas virtutes aut illustriora vitia illico investigabit. Quis enim melius eo juvene, in quo pulchri et decori viget sensus, in Laocoöntis statua affectuum vehementiam cum summa artis perfectione conjunctam, aut in Apolline prae-

stan-

stantissimum juventutis florem, et quasi divinitatis quamdam speciem percipiet? Denique tam late ditionem suam extendet hoc pulchri judicium, ut nihil sit in universa vita, in quo ejus vis non aliquatenus elucescat: in omnibus enim, tam suis, quam aliorum actionibus, simplicitatem, ordinem, harmoniam, sublime et decorum non tantum facile cognoscet, sed et continuo adamabit: contra autem, quidquid ab his virtutibus recedat, ab ipsius ingenio adeo erit alienum, ut nihil indecorum aut turpe, nihil humile et abjectum, nihil fucatum aut fraudulentum, nihil denique a Naturae integritate abhorrens, neque in aliis, neque in se ipse offendat, quin magno dolore et taedio afficiatur: imo tunc etiam, quum vehementiore affectuum impetu aut graviore quadam causa coactus, contraria expetat, hujus sensus vim et efficaciam vel invitus experietur.

Quod vero ad imaginandi vim attinet; quantum ea etiam incrementi ex Poëtarum lectione adipiscatur, Auditoribus, humanitatis disciplinae deditis, facile persuadebo. Haec quidem ea est facultas, qua divinus animus jam in tenerrima aetate vim suam exserit, quaeque idcirco a prudentissimo rerum auctore ita est comparata, ut hujus imperio ob-

obsequi, hanc assidue excolere, et infantibus, et adultis, non gratissima occupatio, sed summa oblectatio habeatur. Hinc igitur fit, ut primum in juventute, mox in omni aetate quam latissime pateat ejus dominium, adeo quidem, ut praeclarissimum hoc munus, quod ad veram felicitatem viam aperire posset, saepenumero perennis miseriarum fons exstiterit. Huic autem malo non aliunde salubrius remedium parari poterit, quam attenta Poëtarum lectione. Cum enim omnes animi vires eam habeant indolem, ut, veluti gemmae poliendo suum adquirunt splendorem, ita illae prudenti exercitio acuantur in dies atque augeantur, facile intelligitur, hanc imaginandi vim, ut liberius exsurgat, et ad majorem perducatur perfectionem, quotidiano usu esse excolendam; haec autem cultura ex solo Poëtarum fonte est haurienda. Hi enim et universo sermone, qui imaginibus est refertus, et pulcherrimis descriptionibus et comparationibus hanc mentis facultatem assidue occupant; hanc exercent, hujus et limites extendunt et vires corroborant, quo oblatarum imaginum non solum capacior fiat, verum etiam tenacior; et si vera hominum felicitas animorum perfectione, eorumque virium libera atque in-

cor-

corruptâ vi maxime censetur, quibus laudibus Poëtas depraedicandos esse putetis, quorum studio animorum dignitas accrescat, atque adeo vitae nostrae felicitati ingens cumulus accedat!

At vero Poëtarum usu non tantum acuitur haec imaginandi facultas, verum etiam pulcherrimarum formarum infinita instruitur copia, quae, tam in otio, quam labore, tam domi, quam foris, nos comitantur, quae ubivis jucundissimum oblectationum genus largiuntur, atque omni tempore ex iis elegantiae magistris, tamquam ex bene instructo armamentario, depromi et in proprios usus possunt converti.

Neque sic tantum pulchris, verum etiam utilibus imaginibus locupletatur mens, (ad quod prudenti magistro praecipne est attendendum) quae assidua et viva perceptione in animos hominum quasi transfusae ipsis eum inspirant ardorem, quo ad praeclara facta imitanda, eamdemque formam suis moribus exprimendam sponse impelluntur. Contemplētur adolescens, verbi causa, Aeneam, omnes voluptatum illecebras pietati postponentem; contempletur Euryalum et Nisum, aeterna sinceri amoris copula conjunctos, eaque exempla ita ipsi illu-

strentur, tam vivis coloribus depingantur, ut ea mentis oculis quotidie intueatur, aliasque istiusmodi imagines, quae aliunde animo ingerantur, cum his comparet, ad horum normam exigat, eodemque cultu exornet, ita tandem, non solum juvenile ejus ingenium acuetur, verum ipsa mens pulcherrimis pietatis, heroïcae virtutis, veraeque amicitiae exemplis instruetur, quae omnem illius naturam paulatim transforment.

At vero dicet aliquis; isti Poëtae, quos tu nobis ambitiose depraedicas, vera falsis, certa dubiis miscendo, omnes narrationes reddunt incertas; quin imo magna verborum ostentatione res inanes et nugatorias, tamquam Centauros, Scyllas, Pegasos, Chimaeras, bella gigantea similiaque nobis obtrudunt, quae cordatioribus adolescentibus ludibrio sunt, reliquos vero ad credulitatem et superstitionem reddunt proclives. Hoc quidem in indoctos Poëtarum interpretes valeat, in ipsos certe Poëtas non valet. Est enim boni interpretis, reconditos fabularum fontes aperire; quo tempore, qua de causa unaquaeque ficta sit, explicare; veras narrationes, ablatis fabularum involucris, exponere; praecepta, seu Physica, seu moralia, si qua lateant, enucleare:

re: ita tandem eadem ista fabularum congeries, non ridicula, sed jucunda, non noxia, sed plena utilitatis erit censenda.

Quid autem de affectibus erit judicandum? Fuerunt quidem, qui horum imperio nequaquam obtemperandum putarent, qui extinguendam esse omnem eorum vim, ipsosque, tamquam divini animi dedecora, et humanae societatis pestes, radicitus extirpandos esse clamitarent, et, quo magis quis ad omnem vitae voluptatem, omnes adversae fortunae casus, animum obdurasset, eo propius ad sapientiae laudem accedere affirmarent; a quorum (si Dîs placet) Philosophorum insania ita sum alienus, ut ista ratione coelestes hominum animos ad pecudum aut rerum inanimatarum duritiem detrudi, omniumque laudabilium factorum et verae magnitudinis semina suffocari arbitrer. Non diffiteor equidem nimio affectuum usu juvenum ingenium fluctuans reddi et quasi enervatum, praeclaramque illam et dignam maribus constantiam tantum non opprimi. Verum nos affectuum usum, non abusum commendamus, et, uti tenerrimum humanitatis sensum amamus, ita effeminatam mollitiem abominamur. Neque Poëtis etiam ista affectuum commotio vitio

dari, sed omnino in laudem verti debet. Illi enim animos emolliendo eam humanae naturae adimunt duritiem, quae utilissimis doctrinis saepe resistit, atque omnibus honestis cogitationibus, omnibus bonis praeceptis aditum aperiunt, veraeque virtutis imaginem, cujus non substantiam aut attributa ediscere, sed pulchritudinem sentire, ad quam non urgeri, sed accendi, cujus non praecepta doceri, sed exempla aemulari debemus, tot locis, tot diversis formis tam amabilem nobis exhibent, ut eam vel inviti veneremur, suspiciamus, diligamus.

Legat igitur et quotidie, non sine magna perturbatione animi, relegat magni illius Reguli ad hostes suos reditum; Aeneae, Hectoris, Scipionis, Catonis praeclara facta, variis formis ac vivis coloribus expressa, identidem sibi effingat, et cum impetu quodam aliis enarret. Codri, Leonidae, et Deciorum voluntariam mortem et contempletur saepius, et eorum contemplationi quam diutissime inhaereat. Ita tandem omnes affectus tum demum tranquillum perturbabunt animum, quum aut benefacta aut scelera vel amorem, vel odium mereantur. Sed fingite, quaeso, A. A. N. N. talem vobis hominem,

qui

qui ad omne pulchritudinis genus sensum habeat et natura tenerum et assidua exercitatione subactum; cujus imaginandi vis usu non tantum exculta, verum etiam pulcherrimis formis sit repleta, et cujus affectus, non tantum sine magno labore, verum etiam (id quod maximum est) justis de causis permoveantur; quot quidem ille voluptatum particeps fiet, sive in celebritate hominum, sive in beata solitudine versetur! In omnibus enim rebus, quas alii, tamquam viles et abjectas, transilire aut contemnere soleant, magnum ille inveniet pondus et ignotam hactenus elegantiam. Quantum in eo pulchritudinis et decori studium vigebit, quod in quotidiano labore, sermone, habitu, cultuque conspicuum erit! quanta animi facilitas et clementia! quot qualesque ex conjugiali foedere capit voluptates! quanto amore liberos suos complectitur, eorumque saluti consulit! quanta benevolentia est in amicos, quantaque in iis eligendis utitur prudentia, et in retinendis indulgentia et firmitate! Has autem dotes si ad alias disciplinas transtulerit, tum quidem et ipse ad maximam dignitatem, maximamque, quae in homines cadat, perfectionem escendet; et iis disciplinis nova accedet praestantia et insoli-

tus quidam vigor. Philosophia enim, Poëtices adjumentis destituta, quantum frigeat, et quam minima ad animos hominum valeat efficacia, cum recentiorum Philosophorum inopia, tum praeclarissimorum ex antiquitate copia atque ubertas satis docent. In memoriam vobis revocate Xenophontem, Platonem, Antisthenem, Aristotelem, Theophrastum, omnes praeterea Academicos, de quibus difficile est ad affirmandum, utrum magis eorum doctrina et judicandi acumen ingenii elegantia, quam haec elegantia doctrina et acumine sit illustrata. Sive in foro atque in judiciis versetur, hic etiam elegantiae sensus non exiguam adferet utilitatem, et, si in istorum temporum memoriam redeamus, quibus maxime floruit forensis disciplina, facile in eam adducimur opinionem, non magis aliarum rerum cognitione, quam verae elegantiae cultura illam stetisse. Cogitate, quaeso, Ciceronem et Demosthenem, qui suo exemplo, qua in re eloquentia forensis vere consistat, et quibus auxiliis acquiratur, satis docuerunt. Sed quid in tali hominum conventu huic rei amplius immoremur, ubi adsunt complures viri consultissimi, iidemque humanissimi, qui, quantum ipsa jurisprudentia praesidii ca-

piat

piat ex humanitatis doctrina, et elegantiae sensu, diuturna experientia et ipsi noverunt, et aliis facile persuadent! Neque vulgarium disciplinarum limitibus circumscribi se passus in gravissimis concionibus aut in Comitiorum celebritate solius linguae ope regnat, et suo nutu omnia dirigit. Exemplo sint ambo oratores laudati, quorum hic universas Athenas aut placare, aut inflammare, et imperiosi Regis insidiis resistere noverat; ille feroces istos Quirites, ac sanctissimum orbis terrae concilium, quoquo vellet, flectere consueverat. Quod si vero ad Religionem animum applicuerit, tum demum divina hujus majestate et materiae ubertate adjutus quasi terminos mortalitatis egreditur, neque huic illive civitati aut genti, sed omni hominum generi, non ad honorem aut divitias, non ad eruditionem aut gloriam, sed veram aeternamque felicitatem viam praemunit. Atque utinam illi viri, qui Religionis causam agere, et adversariorum effata ratione ac via confutare instituerunt, quantum sagacitate et doctrina, tantum ingenii elegantia valerent, et quos causae bonitate et dictorum veritate superaverint, eosdem etiam stili suavitate post se relinquerent!

At

At vero nonnullos fortasse reperias, quibus non facile persuaderi possit, hujus sensus ditionem tam late patere, aut tanta integritate vim suam exserere. Alii enim veras elegantias suspiciunt in Virgilio, in Horatio non item; alii in pictura acute vident, in re Poëtica autem talpis sunt caeciores; alii naturae corporeae pulchritudine capiuntur facillime, quidquid vero in moribus sit decori, fastidiunt. Sed illis in superioribus jam obviam ivimus, ubi ea, quae hujus sensus indolem immutarent nonnumquam, verbo memoravimus, et satis multa in hanc rem possent proferri, nisi alia pro Poëtis, quorum causam suscepimus, eaque non minoris momenti, dicenda restarent.

Est scilicet mentibus nostris insitus acerrimus imitandi ardor, qui et ingenii vires quasi sepultas in infantia una cum sermone excitat, et tenellos animos ad virtutem informare facile potest. Huic autem divini conditoris consilio ut satisfiat, ingenuae juventuti optima vivendi exempla quotidie sunt proponenda, quae ardentes accendant animos, et laudabilem in iis excitent aemulationem; atque hac etiam parte reliquis scriptoribus palmam praeripiunt Poëtae. Unum vobis Virgilianum Aeneam (ut hoc de-

fun-

fungar) perfectum absolutumque heroëm in memoriam revocate, et in eo admiramini singularem in hostes clementiam, in suos facilitatem et benevolentiam, maximam in rebus secundis animi moderationem et temperantiam, in adversis patientiam et firmitatem; qua quidem una cum integra pietate adjutus vehementissimis affectibus fraenum injicit, et praesentissima vitae pericula adit audacter. Sed inspicite, quaeso, sanctas istas antiquioris aevi reliquias, et ubivis tam virtutum, quam vitiorum conplura reperietis exempla.

Verum inquiet aliquis; ea exempla, quae tu laudas, non aliunde, nisi ex solo Historiae fonte sunt haurienda; Poëtice nullas nisi fictitias narrationes et inanes umbras nobis offert, aut, si quidquam ei insit veri, id ex uberrimo Historiae penu mutuatur.

At vero, ô bone, tu quidem solam materiam respicis, formam omnino negligis; tu jejunos et taediosos Annales prae Livio et Sallustio; aut imaginem, ad vivum expressam, sed indocte depictam prae Minerva aut Jove Phidiaco extollis: nuda enim Historia est quasi corpus exanimum, cui animam et vitam inspirat Poësis. Historia per se nullisque exculta ornamentis nihil fere habet, quo se adole-

centum animis insinuet; sed quo arctior ei cum Poëtice intercedat necessitudo, eo majorem acquirit vim, majorique excellit dignitate. Illud enim, quod in languidis sequiorum temporum Annalibus desideras, illud, quo Sallustium et Livium reliquos scriptores post se relinquere existimas, illud, quod in vitiatae Lucretiae apud hunc, aut morituri Othonis descriptione apud Tacitum adeo miraris, non quidem ex Historiae, sed ex Poëtices penu est depromtum.

Quod si vero Historia ad Poëtices arbitrium tota se componat, et vel Epici vel Tragici Carminis habitu in publicum prodeat, tum quidem eo in animos hominum valet imperio, cui neque inveteratae maxime opiniones, neque ulla umquam barbaries possit resistere. Cogitate, quaeso, Athenas Atticas, non tam ob urbis et ingeniorum elegantiam, quam civium magnanimitatem, Graeciae Graeciam appellatas; cogitate, quaeso, eorum hominum in media pace incredibile belli studium, et in maxima morum humanitate acerrimam virtutem atque constantiam, et patebit illico, solas Tragoedias, in urbe patria exhibitas, impedivisse, quo minus aut fortitudo humanitate, aut humanitas fortitudine sit extincta.

Quod

Quod vero ulterius jactas de Poëtice, tamquam inanium narrationum inventrice, id quidem nullum habet pondus: etenim in Poëticis narrationibus non illud quaerimus, utrum res ita vere se habuerit, nec ne; utrum binis an duodenis ab hinc saeculis acciderit; verum illud cogitamus, num loca, res, personae recte et ad naturae leges sint expressae; his observatis, Poëtarum vestigiis, quocumque nos ducant, libenter insistimus, et si qua de narrationis veritate nobis suboriatur suspicio, ea tum demum suborietur, quum in animis nostris suam vim jam exercuerit. Quid enim? num Andromaches cum Hectore colloquium minus te delectabit, quam Scipionis et Hannibalis congressus, propterea quod hic verus, illud fictum sit? Num Aeneidis Virgilianae immortale opus nos minore perfundet voluptate, qnod de Aeneae in Italiam adventu dubitent conplures eruditi? Quid? quod idem ille fingendi mos tanta valeat efficacia, ut meo judicio nulla alia re Poeticae majus accedat incrementum. Sola enim hac dote, tamquam ex perenni quodam fonte, nova assidue subministrat exempla; hac virtutem ad summam pulchritudinem, summamque evehit perfectionem; hac vitia deterrimis depingit coloribus, iisdemque aut luculentio-

ra praemia, aut gravissimas poenas continuo subjungit. Hinc recte Euripides objicientibus inimicis, quod Ixionis sui exemplo impietatem docuisset, respondisse legitur: se non prius eum, quam rotae esset alligatus, e scena abduxissc.

At vero iidem illi morum magistri Poëtae non tantum optima exempla, sed et utilissima praebent praecepta, quae vitae probe instituendae egregie sint accommodata. Evolvite, quaeso, Homerum, Sophoclem, Euripidem, alios, in quibus omnibus elegantissimas reperietis sententias, et ad cognitionem naturae, et ad emendationem morum, et ad vitae consuetudinem utilissimas, unde et ipsi Philosophi Plato, Aristoteles, et Chrysippus una cum reliquis Stoicis haec Poëtarum dicta, tamquam de coelo delapsa, cupidissime collegerunt. Haec autem dicta si nostrae fortunae apprime conveniant, tum quidem magnam voluptatem non tantum, sed et optimum doloris praebent solatium. Illustre exemplum nobis suppeditant milites quidam Attici: hi enim, quum, ad Syracusas re infeliciter gesta, Siculis, hostibus suis, in servitutem se tradidissent, nullo alio remedio servitutis jugum levasse, aut carceris miserias narrantur mitigasse, nisi decan-

tan.

tandis, quae in juventute didicerant, Euripidis carminibus, quorum suavitas una cum rei novitate hostes ita cepit, ut hos homines protinus in libertatem vindicandos censerent. Alii vero, qui hostium manibus se subduxissent, et per Siciliam oberrantes rerum omnium inopia laborarent, his ipsis carminibus, non tantum doloris solatium, sed et paupertatis levamen sibi comparaverunt. Et quem, quaeso, Batavum latere possit, Witsiorum alterum, suae integritatis sibi conscium, inter medias carnificum minas acerbissimosque cruciatus, recitandis Horatii versibus, et suum dolorem leniisse, et inimicos pudore confudisse?

Novi quidem hic etiam complura in contrariam partem ab adversariis solere jactari, quibus tamen, nisi et aliorum et inprimis Plutarchi diligentia otium nobis fecisset, facile posset responderi.

Et sic quasi manu ducimur ad externum carminis habitum, atque adeo metri Musicaeque suavitatem; quae quidem tanta est, ut nulla profecto sit ars, quae ad humani generis culturam tantum contulerit. Quidquid enim de Orpheo et Amphione ab antiquis nobis traditum sit, quidquid de eorum in feras et

lapides potestate, antiquissimaque Musices conditione statuamus, illud tamen largiamur necesse est, insolita hujus artis dulcedine ita delinitos esse homines duros et feroces, ut, exuta morum barbarie, ad meliorem victum vitamque tranquilliorem transierint. Quin eadem hac arte Lacedaemone tumultuantem plebem pacavit Terpander; hac agrestes Argivorum animos mollivit Telesilla; hac Solon Athenienses, Tyrtaeus Spartanos tam vehementi inflammarunt ardore, ut, posthabitis belli laboribus et periculis, hi de Messeniis, illi de Megarensibus gloriosissimam reportarent victoriam; hac denique Arcadum populi, Timotheo et Philoxeno modos praeeuntibus, ita fuerunt exculti, ut et morum lenitate, et candore, et hospitalitate nulla alia gens adeo inclaruerit, cum tamen soli Cynaethii (judice Polybio, auctore gravissimo) quod Musicarum artium illecebras contemsissent, ferocia et crudelitate prae reliquis innotuerint. Imo cum tanta sit hujus artis excellentia, hinc et Legislatores et Philosophi, seu de astrorum cursu, seu de agrorum cultura, seu de moribus praecepta darent, hanc sedulo in subsidium vocarunt.

Sed

Sed ne quis sibi persuadeat, haec ex ultima antiquitate depromta testimonia a credulis hominibus sensim in majus fuisse aucta, eaque tempora, quae ad nostram aetatem propius accedunt, ne unum quidem istiusmodi exemplum protulisse, vos reminisci oportet Eduardi primi, quem saeculo decimo tertio Regem habuit Anglia: hic enim, regione Wallia in provinciae formam redacta, istius gentis Poëtas, ne libertatis ac bellorum studium denuo excitarent, ad unum omnes de medio tolli jussit. Denique patrum nostrorum memoria illi viri, qui ad barbaros homines Christi sacris initiandos in Occidentales terras fuerant missi, ut rigidos animos salubrium monitorum capaces redderent, eos Musice antea lenire sunt aggressi. Sed quid in ista arte depraedicanda amplius immorer, cujus exercitatione etiam beatos coelorum incolas delectari, tam sacri, quam profani scriptores testantur?

Restat jam altera hujus sermonis pars, qua id, quod hactenus ratione probavimus, saeculorum experientia confirmaretur; quod sine magno labore efficerem. Possem enim tum singulos homines, tum universas gentes vobis proferre, quas Poëtices et

elegantiorum artium cultura ad summam evexit dignitatem, perdidit vero earumdem neglectus. Possem ex politissima Atheniensium gente in scenam proferre, qui pro centenis aliis est, magnum illum Periclem, quem aut famae magnitudine, aut verae elegantiae studio ex elegantissimis civibus nemo unus aequavit. Possem e Romanis laudare Fabios, Scipiones, Marcellum, Lucullum, Pompejum, aliosque, qui omnes, licet invicta fortitudine immortale nomen fuerint adepti, tamen elegantiorum literarum atque adeo Poëtices studio destituti, neque virtutum opinione apud milites suos, neque rerum gestarum celebritate apud posteros tantum valuissent. Possem praeterea adferre alios viros, bellica laude non minus insignes, quorum infraenata animi vis, quae jam ferocia dicitur aut crudelitas, si Poëtices suavitate fuisset temperata, nunc etiam verae virtutis nomine insigniretur. Possem denique ad partes vocare complura regna aut Respublicas, quae Poëtices sensu imbutae, et ipsae floruerunt, et omnium disciplinarum vigorem mirum in modum auxerunt, contra vero elegantiae cultu neglecto, una cum ipsis artibus et disciplinis, ne excepta qui-

quidem divinae Religionis cultura, sensim perierunt. — Sed hoc agendo attentione vestra abuterer.

Haec autem attenta Poëtarum lectio, ut vero pulchritudinis sensu imbuit animos, atque uno virtutis amore ad omnia officia rite peragenda ultro homines impellit, sic hodie me mei admonet officii, et ad ea vocat, quae et hujus horae solemnitas et grati animi laetitia jam dudum me monebant.

Ad vos igitur me converto, inclytae hujus civitatis Consules, iidemque Gymnasii publici Curatores, Viri, summis in Rempublicam meritis conspicui!

Cum ex eo tempore, quo ad Latinas et Graecas literas discendas animum applicui, semper illud a Deo O. M. precatus sim, ut mihi in hac vita tali aliquando munere fungi liceret, quod in harum literarum cognitione augenda aliisque tradenda versaretur, juvenis admodum in scholam, in qua puerilis aetas his literis impertiri solet, magister vocatus, voti compos sum factus. Laetabar me nactum esse occasionem non tantum haec studia, quorum suavitatem atque utilitatem non satis dignis laudibus efferre possem, alios docendi, verum etiam

meam qualemcunque peritiam in dies magis magisque alendi atque amplificandi.

In his studiis dum occupatus vivo, et docens, quantum mihi hic discere necesse sit, intelligo, placuit vobis, Viri Honoratissimi! illud mihi, nihil tale cogitanti, aperire theatrum, quo literarum studioso nullum illustrius aperiri possit. Sive enim muneris mihi demandati dignitatem cogito, ea quidem talis est, ut omnibus aliis hujus generis muneribus antecellat; seu juventutem nobis commissam, ea est florentissima et nobilissima Bataviae, atque adeo patriae nostrae praecipua spes; seu denique ipsius urbis dignitatem et praestantiam considero, haec profecta tanta est, ut, si Athenarum splendor et magnificentia ipsis Atheniensibus formandis inservierit, hujus certe splendidissimae urbis conspectus in omnium animis verae magnitudinis sensum excitet.

Quae quidem, uti praestantia sua juvenilem efferunt animum, ita gravitate sua eumdem deprimunt, et, si his omnibus meam aetatem, ingenii tenuitatem, exiguum usum, parvamque doctrinae supellectilem oppono, cui, quaeso, mirum videatur, me

me ad harum rerum intuitum et pudore confundi, et de hoc munere rite ornando pene desperare? Sed recreat me vestra, V. V. H. H. benevolentia, vestrorumque vultuum serenitas. Quare, uti gratum vobis obtestor animum, idque non tantum verbis, sed et oculis, vultu, totiusqne corporis tremore significo, ita sancte promitto, me in hanc Amstelaedamensium juventutem, in qua difficillimis his temporibus et aureae Libertatis instauratio, et salus publica, et omnis omnium bonorum spes nititur, prima literarum elementa docendo non id acturum esse, ut in solis verbis, in singulis pene syllabis aucupandis, aut in minutissimis Grammaticorum quaestionibus enucleandis, a qua re jam diu est quod Gymnasia nostra male audiant, eam detineam, sed potius ejus tenerum ingenium ad ipsos veteres oratores et poëtas intelligendos conformem; Historiarum, et Geographiae, quarum in his scholis nulla fere tradi posse cognitio vulgo existimatur, ei prima fundamenta jaciam, atque in veteribus scriptoribus interpretandis nihil praetermittam, quod ad patriae et libertatis amorem augendum, mores juvenum emendandos, virtutis et pulchritudinis

sensum excitandum aliqua ex parte conducere possit.

Interim Deus O. M. et corporis sanitatem et animi vires mihi largiatur, ad gravissimum hoc munus ex publico commodo atque adeo ex vestra voluntate rite obeundum, idemque faxit, ut vestro adspectu cives Amstelaedamenses, vestroque consilio et tutamine tam respublica quam scholastica diutissime perfruantur!

Te etiam, clarissime Curteni, senex venerabilis, me hic praesentem videre laetor ex animo. Licet jam tibi, senescentis corporis vitiis debilitato, pristini vigoris modo umbra remansisse videatur, tamen animi tui praestantia, et meritorum tuorum grata recordatio efficiunt, ut te diligam vere et suspiciam; quod ut omnibus et humanitatis et pietatis officiis tibi significem, omni diligentia praestabo, nihilque mihi umquam erit gratius, quam ut tua opera tuoque consilio saepius uti mihi liceat. Ut interim ultima haec terrestris vitae tuae pars tibi jucunda, nobis utilis, huic urbi Gymnasioque fructuosa sit, ex animo vovemus.

Neque vos silentio praetermittam, quarumvis doctri-

narum Professores celeberrimi, qui, quam benigne de mea qualicumque eruditione sentiretis, et sermonibus et commendatione vestra satis significastis. Non sine summa voluptate in istius temporis memoriam redeo, quo aut nominis vestri fama, aut librorum editorum elegantia atque doctrina excitatus, vestram praestantiam tacitus admirabar, nihilque magis optabam, quam ut vos coram intuendi, vos conveniendi aliquando copia mihi fieret! Quod quidem ita ex voto cecidit, ut non solum vos intueri, sed et alloqui, neque alloqui tantum, sed et in amicitiam vestram recipi mihi contigerit. Adeste interim mihi in posterum, non tam amico, quam discipulo, non tam comiti, quam clienti, et, cum domesticis vestris lectionibus interesse mihi non liccat, et doctrinis, et monitis me continuo instruite, ut et Illustris Vestri Athenaei et Gymnasii nostri fama, quorum mutua salus arctissimo nexu est conjuncta, sensim augeatur, et utrumque ad eam escendat perfectionem, quae vicinis regionibus urbibusque aemulationi, nobis vero omnibus et nobili huic civitati sit gloriosissima.

Sed ut vos, Conrector caeterique Praeceptores doctissimi, compellem, et ordinis ratio et vestra in me benevolentia jam postulant. Vos enim omnes ab eo inde tempore, quo in hanc urbem sum delatus, hospiti mihi et peregrino tam opera quam consilio assidue adfuistis, et quaecumque plurium annorum experientia vos edocuisset, candide et libere mihi significastis; quod quidem humanitatis officium eo magis agnoscere soleo, quo magis ab omnibus verborum lenociis omnique turpi adulatione alienus est hic animus.

Onus humeris nostris impositum est quidem dignitate sua magnificum, sed et gravitate ponderosum, innumerisque difficultatibus admodum periculosum. Hinc enim parentum in liberos amor oaecus atque inconsideratus; hinc ipsorum puerorum contumacia atque inertia; hinc invidorum hominum maledicentia; hinc denique earum doctrinarum, quas profitemur, difficultas totidem nobis objiciunt impedimenta, quibus et studiorum cursus pene quotidie abrumpitur, et ipsa animi alacritas sensim extinguitur. Verum enim vero, si a prima hac juvenum aetate et salus publica et vera ipsorum feli-

ci-

citas unice pendet, si priscae humanitatis studium et Poëtarum diligens lectio non tantum verae virtuti aditum recludit, sed et ipsius admirationem et amorem animis nostris inspirat, gravissimum hoc munus unicuique nostrum quam diligentissime est ornandum, omnique opera in id incumbendum, ut non tantum sedula et prudenti disciplina, sed et propriis virtutibus, eruditione, pietate, modestia et candore, quae omnia vitae ornamenta inprimis humanitatis doctorem decent, scholasticam juventutem excitemus. Ita et idem ille honor, qui viris de patria bene meritis debetur, nobis non denegabitur. Si enim M. Aurelius, Augustus Romanorum Imperator, idemque recti honestique intelligentissimus, tantum honoris magistris suis habuit, ut imagines eorum aureas in Larario haberet, eorumque sepulcra hostiis floribusque saepius honoraret, nonne eodem jure quaelibet benevolentiae indicia exspectemus a civibus Amstelaedamensibus, priscae humanitatis minime ignaris, quibus, cum omnibus opibus, quas in hac terra admiramur, affluant, nihil antiquius esse oportet, quam ut divitiis, a se proavisque cumulatis, tam ad suam, quam alio-

aliorum felicitatem recte utantur ipsorum liberi? Sin autem adeo fortunatis esse nobis non liceat, non minorem certe voluptatem, eamque ingenuo homine dignissimam, ipsa benefactorum conscientia nobis largietur.

Postrema hujus sermonis pars vobis dicata sit, juvenes optimi, dilectissimi! Non amplis verborum ambagibus mihi opus fore arbitror, ut vestrum favorem mihi conciliem, cum Poëtarum honorem vindicando et vestram causam me egisse mihi persuadeam. Affirmavi enim quaslibet honestas oblectationes vestra aetate non tantum non indignas, sed et saluti vestrae maxime esse necessarias. Affirmavi ipsam virtutem tum nativa specie esse pulcherrimam, tum innumeris iisque sinceris voluptatibus juventuti avide esse appetendam; ipsam denique Religionem nihil esse, nisi veram moralem pulchritudinem, ac divinum ejus conditorem omnis integrae voluptatis, omnis verae pulchritudinis unicum esse fontem.

Illud igitur vehementer vos rogo, ut leviora oblectamenta, non tamquam summum vitae vestrae finem, anxie conquiratis, sed tamquam laboris ac do-

doloris solamen adhibeatis. Habitate in Poëtis et fabularum scriptoribus, non ad tempus inutiliter transigendum, aut ad alimenta libidinis invenienda, sed eo unice consilio, ut innata animorum durities infringatur, et acerrimus pulchri bonique sensus in vobis excitetur. Quare, si mea qualiscumque opera, sive ad rectam voluptatis viam vobis indicandam, sive ad abstrusas veterum scriptorum elegantias enucleandas, vobis usui esse possit, habete me et ad vestra commoda paratissimum, et in studiorum curriculo comitem fidelissimum, cui nihil accidere potest gratius, quam ut ex hac nostra disciplina boni cives, civibus vero utiles Magistratus prodeant, atque adeo ut nobilissimae hujus urbis dignitati et communis nostrae Patriae saluti aliquantum consuluisse existimer.

DIXI.



SICCONIS

SICCONIS VAN OMMEREN

CARMINA.

LECTISSIMAE VIRGINI

ANNAE ADRIANAE VINK,

SPONSAE CARISSIMAE,

NEC NON

VIRIS CONSULTISSIMIS, INTEGERRIMIS,

MARIO VAN OMMEREN, J. U. D.

PATRUO OPTIMO,

DANIELI HOOFT, J. U. D.

HERMANNO RIETVELT, V. D. M.

TUTORIBUS FIDELISSIMIS,

OPTIME DE ME MEISQUE FRATRIBUS
MERITIS;

CETERISQUE MEIS SPONSAEQUE MEAE AMICIS
ET FAUTORIBUS

S.

En mihi, quae toties votis precibusque petivi,
Rident optati gaudia conjugii!
Post varios casus, ventis jactatus et undis,
Navita sic portûs littora tuta tenet.
Salve laeta dies, aeterno carmine digna,
Ederet aeternos si modo lingua sonos!
Salve laeta dies, quae tot mihi gaudia praebes,
Vita quot in terris vix capere una valet!
ANNA, mihi cunctis dilectior una puellis,
ANNA, voluptatis causa caputque meae,
Et formae et vultûs et linguae munere pulchra,
Pulchrior ast animi dotibus ANNA tamen;
ANNA, decus vitae, vita quoque carior ipsa,
Qua sine terrarum munera nulla velim,
Quacum sed nigris libeat mihi vivere sylvis,
Quacum straminea consenuisse casa,
ANNA suum tandem juvenem dignatur amore,
Et dextram dextrae jungit amica meae.
O vos, quos auro turpive libidine captos
Infausto junxit sidere falsus amor,

Ite procul miseri, sacris discedite ab aris,
  Templa nec impuro commaculate pede!
Castus amor nobis socialia vincula nectit,
  Vincula non ullo dissoluenda die.
At vos dilecti mecum celebretis amici,
  Qua fuit haud vitae pulchrior ulla, diem!
Nos sacra templa manent: linguis animisque favete,
  Et date flagranti cum prece thura foco!
Et vos, quos tristi fato lugemus ademtos,
  O pater, o genitrix, nomina cara mihi!
Non est, quod plorem; terra curisque solutos,
  Vos mulcet nullo laesa dolore quies:
Vestra sed hanc utinam spectarent lumina pulchram,
  Quae fuit et vobis saepe cupita, diem!
Cum tamen hoc nobis crudelia fata recusent,
  Nec pateant ulli nigra sepulcra preci,
Per vestros juro manes, mea numina, perque
  Forsitan his sacris quae volat umbra locis;
Perque illum, natos quo dilexistis, amorem,
  Quique meo vestrûm pectore spirat amor;
Me talem civem, sponsumque patremque futurum
  (Hoc mihi si nomen dulcius aure sonet)
Ut vestro et carae sim dignus amore puellae,
  Nec dicar patriam dedecorâsse meam.

At

At vos, Tutores nostrae fratrumque juventae,
Quae meritis vestris carmine digna canam!
Mens abit admonitu Genitoris morte notatae
Lucis, corque pavens nunc quoque frigus habet.
O lux, o verba, et Patris morientis imago,
Vos sitis semper pectore fixa meo!
Quid mihi mentis erat, quum clausi lumina, quumque
Conspersi lacrymis pallida membra piis?
Quid mihi mentis erat, quum toto solus in orbe,
Junxi maternis ossibus ossa patris?
Quid mihi mentis erat, quum tecta paterna reliqui,
Et puero et juveni cognita tecta mihi?
Sed velut iratis jactatus naufragus undis,
Sidera nunc trepidans, nunc Acheronta petit;
Fulmina cum volitant, et crebra tonitrua caelo
Strident, et reboans nox tegit alta fretum;
Ast tandem, Aurora requiemque diemque ferente,
Vela salutiferae cernit amica ratis:
Sic quoque vestra manus, nostrae miserata juventae,
Solamen miseris auxiliumque tulit;
Sic fessis requies animis, sic gaudia moestis,
Reddita sic fractis vitaque spesque fuit;
Vestra mihi dubio sapientia tramite semper
Dux fuit, et tumido sic Cynosura mari;

Sic pueri a cunctis tuti crevere periclis,
  Ut rosa frondoso robore tecta viget;
Sic, post cessatum Genitoris morte laborem,
  Ad Musas reliquum vos docuistis iter;
Et quodcumque venit docto mihi nomen ab orbe,
  Si veniet, vestri muneris illud erit.
O mihi felici, meritas si reddere grates,
  Et possim dignis vos celebrare modis!
Haec mihi sed quoties subeunt benefacta, palato
  Haeret, et optatam lingua recusat opem.
Ast ubi verba stupent, oculi lacrymaeque loquantur,
  Haec mentis gratae sint documenta meae.
O prius aeterno nutantia sidera caelo,
  Quam benefacta meo pectore vestra, cadent!
Haec ego mente geram, dum sit mihi vita superstes,
  Haec ego mente geram, cum mihi vita fugit;
Cumque etiam stupuit morienti lingua palato,
  Et dabitur vita prosperiore frui,
Tunc tandem potero meritas persolvere grates,
  Cum valet aeternos edere lingua sonos.
Et tu, conjugii quam mox mihi copula junget,
  Copula, quam valeat solvere nulla dies!
Quas ardente feram meritas tibi pectore grates?
  Has erit ut reddam vix mihi vita satis.

Me

Me propter linquis felicia moenia, lymphis
  Alluit auriferis quae pater Ya suis.
Me propter primae socios sociasque juventae
  Deseris, intacta pectora juncta fide;
Cognatosque tibi caros, fidasque sorores,
  Quosque alios constans junxit amicitia.
Ignoscas, pater Ya, precor, nec saevus eunti
  Obstrepe, tranquillo lambe sed amne ratem!
Parcite, cognati, dilecti parcite amici!
  Illa est, et vobis nunc quoque digna manet.
Castus Amor totum nulli violanda per orbem
  Jura dat, humana non superandus ope.
Nympha casam magno coluit pro flumine parvam
  Oenone, et Paridis pauperis uxor erat.
Deseruit Medea patrem, patriosque penates,
  Esset ut Aesonii nupta comesque ducis.
Ore minas spiret Danaus, pietate marita
  Salvus erat Lynceus. Omnia vincit Amor.
O Amor, o hominum divûmque aeterna voluptas,
  Humano generi gaudia quanta paras!
O ter felices, queis fausto sidere junctis
  Concors cum cara conjuge vita datur!
Seu fortuna favet, sponso nova semper utrique
  Alterius veniunt gaudia laetitia;

Seu fortuna fugit, moestus solamina moesto
  Praebet, et ambobus sic leve fertur onus.
Sollicitant sponsi curae cum pectora, nuptam
  Adspicit, et vires accipit inde novas;
Illa fatigato requiem parat, oscula fesso,
  Oscula, Dîs ipsis invidiosa, ferens.
Haec mihi promittit, mea lux, tua gratia morum,
  Haec mihi virtutis, qui tibi spirat, amor;
Haec tibi praebebit, quae non vastanda periclis,
  Ast erit aeterno foedere fulta fides.
Sic fortunato per te mihi, sic tibi per me,
  Mille fluent fausti gaudia conjugii.
Pectora sic stabunt mediis tranquilla periclis,
  Pressa, sed humanis non superanda malis.
Jamque Tibi nostrae, Deus optime maxime, sortis
  Cura sit, o cuncti fons et origo boni!
Non ego divitias, non tecta superba, nec agros,
  Munera fortunae non fugitiva peto.
Sit mihi, contento sorte, et virtute beato,
  Civibus et nuptae vivere posse meae!
Caetera mitto loqui: fugiat Fortuna, vel adsit,
  Haec mihi si maneant dona, beatus ero.

Ipsis Kal. Novembr. MDCCCIV.

A

AD

POËTAM EXIMIUM

RHYNVIS FEITH,

CARMEN SUUM DE SENECTUTE MIHI DONO MITTENTEM.

Quod mihi donâsti carmen, cultissime FEITHI!
  Semper erit fidae pignus amicitiae;
Pignus amicitiae, — sed lex quoque normaque vitae,
  Quam volvam assiduâ nocte dieqne manu.
Scilicet haec juveni, forsan sponsoque patrique,
  (Haec si contingant nomina cara mihi,)
Suadebit varios vitae tolerare dolores,
  Et nunquam justi destituisse viam,
Ut maneat recti mihi conscia mens, veniatque,
  Si veniat, placido laeta senecta pede.

Er-

Ergo pauper agar, cunctisque relictus amicis,
  Exilii socios haec tua dona feram;
Et gratus dicam, » mihi tristia fata negârunt
  „ Quem socerum, vitae non renuere ducem."

Ipsis non. Decembr. MDCCCII.



IN OBITUM

F. J. W. E. BEELER,

GYMNASII ZWOLLANI PRORECTORIS,
AFFINIS ET COLLEGAE CONJUNCTISSIMI.

Ite fletus, mors BELERUM saeva nobis abstulit!
In necis crudele telum quid juventae flos valet,
Ingenî quid rara dona, pectoris quid candidi?
Quid pie vixisse prodest? en BELERUS occidit!
Sic odores mille spargit, flos modo hortorum decus;
Sic aratro flos recisus languidis cadit comis.
Ite fletus, mors BELERUM saeva nobis abstulit!
Optimos mors quosque tollit, caeca dum parcit malis.
Ecce crimen patrat omne impune pestis patriae:
Stemmate en superbus empto, munere aut sortis levi,
Dulce nulli, triste multis, segne ducit otium.
Hi tamen vivunt beate, vana terrae pondera.
Ille justi cultor, ille gaudium et lux conjugis;

Ille

Ille fidus dux juventae, Palladi sacrum caput;
Ille justus, ille fidus, ille doctus occidit.
Ite fletus, mors BELERUM saeva nobis abstulit!
Quid sequens aurora portet, quaerere amens desine!
Providus Deus futura nocte spissâ condidit.
Mater infantem soporis sedula in cunis movet:
Invida en mors matris, ah! non matris infantem rapit.
Addit auro avarus aurum, semper aurum dum sitit;
Prodigus vitae nefando tempus otio terit:
Prodigus cras, cras avarus praeda mortis occidunt.
Ite fletus, mors BELERUM saeva nobis abstulit!
Tristis Hymen! conde taedas, omine incensas malo!
Tolle myrtum, tolle flores; jam cupressus stet domûs
Ante limen; ah! BELERUM pro toro rogus manet.
Cernite ut relicta fundit fletûs; cernite,
Ut mariti inane corpus muta luctu amplectitur;
Utque plorat, utque plangit, summa figens oscula;
Dum quietem ubique quaerit, nec quietem repperit.
Sic Leandri triste corpus brachiis lentis fovens,
Sestias puella sedit, surda flens ad aequora.
Flete amici, mors BELERUM saeva nobis abstulit.
Nam licet vivat dolore liber et molestiis;
Spectet et terrae tumultûs puriore in aethere;
Palladi cohors sacrata sedulum plorat ducem;

Ipsa

Ipsa Pallas, ipse fidum Apollo deflent vindicem:
Nos amicum, Zwolla civem, sponsa sponsum perdidit.
Haec petunt nostras querelas, haec petunt has naenias.
Nostra damna, non BELERI fata, poscunt lacrymas.
Civis o beate coeli, siderum salve accola!
Nos adhuc incerta vitae portat unda, nos adhuc
Vel vehunt aurae secundae, turbo vel jactat furens,
Portus at cito ex minace surget optatus mari;
Portus o reddet beatae naufragos qui patriae,
Teque amicis, teque matri, teque reddet conjugi.

ZWOLLAE,
mense Sept. 1806.



IN OBITUM PUELLAE.

Hoc bustum, melior veniet dum vita beata,
Leida! sinu placido virginis ossa tegit.
Si, quot virtutes ornarunt corda puellae,
Tot lacrymas tumulo vestra juventa daret,
E quaque et lacryma modo si rosa cresceret una,
Quot gererent pulchras moesta sepulcra rosas!
Quumque intrat coelum, superata morte triumphans,
Ornaret victrix quanta corona caput!

E Belgico expressum.

Quo de imitationis praestantia magis constet, Belgicum carmen hic apponere lubet:

Schonk Leidens troostelooze jeugd
Een' enklen traan voor iedre deugd
Van haar, wier maagdelijk gebeent'
Gods Engel toeft bij dit gesteent',
En groeide een roosje uit iedren traan;
Hoe menig roosje zou hier staan!
Wat was die maagd een krans bereid,
Als ze eens ontwaakt voor de eeuwigheid!

CARMINA

RICHEO VAN OMMEREN

DICATA.



AD

RICHEUM VAN OMMEREN

EPISTOLA DE MORTE UXORIS.

Hactenus in tacito juvat obmutescere luctu,
Tristitiamque animo continuisse gravem.
Ite mei gemitus jam nunc lacrymaeque sub auras,
Transeat et populi noster in ora dolor.
Quisquis es, o! tanti veniet cui nuncia luctus
Fama, nec in duro pectore saxa sedent,
Funde, precor, lacrymas, et nostro disce periclo
Fortunae miseras usque timere vices:
Tuque adeo, propius quem tangunt fata sodalis,
Perfugium quassae, fide Richée, rati,
Laeta recognoscas, et tristia temporis acti;
Quorum pars fueras maxima, dulce caput.
Scilicet, ut primum Musarum castra subire
Coeperat auspiciis nostra juventa bonis,

Te mihi, meque tibi vitae sociumque laborum
  Junxit Castalio Franeca grata Deo.
Felix illa dies, festis celebranda choreis,
  Firmavit sanctam qua data dextra fidem!
Quam parili studio doctis servire Deabus
  Juvit, et Aonia quaerere ab arte decus!
Quam sincera fides, nostro rarissima saeclo,
  Vincula fraternae junxit amicitiae!
Me sine vix ullam potuisti ducere lucem,
  Te sine visa mihi tristior ire dies.
Innocuos interque jocos, interque labores
  Maxima pars noctis saepius acta fuit.
Securum interea sua sub juga duxit utrumque,
  Legibus et Paphiis vivere jussit Amor.
SYLVIA formosis primum te cepit ocellis,
  Me cepit roseis CAELIA blanda genis.
Ambae aetate pares, placidis et moribus ambae,
  Dotibus haec formae, nec minus illa potens.
Haud alia melius poteras periisse puella,
  Digna fuit flammis nec magis ulla meis.
Sic, quos certa Fides junctos Musaeque tenebant,
  Jussit item socios esse in amore Venus.
Quotquot amor curas novit, nos sensimus una,
  Taediaque heu! longae passus uterque morae.

Te tamen ille prius placida Deus audiit aure;
  Praebuerat victas capta puella manus.
Victoris laetos cecinit mea Musa triumphos,
  Vix ullum meminit dulcius officium.
Ex illo versis, ut visum, ad prospera Fatis,
  Nostra etiam ventos vela habuere suos.
Tertia jam saevo consumtum viderat aestas
  Vulnere, quo durus pectora torquet Amor;
Cum fulsit vitae lux optatissima nostrae,
  Pertulit in socium quae mea vota torum.
Laetior Eōo nunquam mihi Phoebus ab axe
  Luxit, et Hesperio mersit in amne caput.
Et mea jam poterat sors invidiosa videri,
  Nec memini invidiam me petiisse tamen.
Quocumque ingrederer, cara comitante puella;
  Plausit fortunae femina virque meae.
Nunc utinam Latiae mihi sit facundia linguae,
  Sive tuae, Naso, sive, Tibulle, tuae!
Nec tamen hos referam lusus, haec gaudia, nobis
  Quae tulerunt fausti tempora conjugii.
Felix, heu nimium felix, si Fata dedissent
  Ducere ad extremum gaudia tanta diem!
Sed nulli ante obitum propria est speranda voluptas.
  Non nisi coelicolis illa tenenda datur.

Sors hominum assiduis jactabitur usque procellis,
  Ceu ratis in vasto fluctibus acta mari.
At veluti placido nulla est fiducia ponto,
  Nullam fortunae cernimus esse fidem.
Saepius haec blanda mentitur fronte favorem,
  Exitio incautos ut graviore premat.
O amor! o dominae nunc, heu! mihi tristis imago,
  Quam vellem luctus non memorare meos!
Sed memorare decet: tibi, si qua est cura sodalis,
  Non desit madidis perlegere ista genis.
Bis quater implerat reparatis cornibus orbem
  Innocui testis Cynthia saepe joci.
Jam blandum poteram nomen sperare parentis
  (Restabat votis pars ea sola meis)
Ecce malo conjux queritur correpta latenti,
  Et ferus exagitat languida membra dolor.
Expulit hunc docti manus ingeniosa medentis,
  Et solitus rediit, Numine dante, vigor.
Sed novus inde metus: turbati pondera ventris
  Non poterant justos continuare dies.
Hanc quoque sollicito demit de pectore curam
  Sperato conjux nomine facta parens.
Enixa est felix partu numeroque gemellos;
  Quot mihi, Di magni! nox ea laeta dedit!

Vox

Vox modo perpetuis singultibus interrupta
  Tentabat grates promere corde pias.
Et modo laetanti figebam basia matri,
  Mixtaque erant multis basia cum lacrymis.
Et supplex tollens lacrymantia lumina coelo,
  » Vivatis socii pignora cara tori!
» Vivat ïo, dixi, mater, natosque superstes
  »Cernat virtutes ipsa referre suas!"
Nil castae valuere preces, cum fata vetarent,
  Dura quidem, at, quamvis dura, probanda tamen.
Vidi ego vix natos pallentes ire sub umbras,
  Et fuit haec luctus pars quotacumque mei.
Dira lues venit, nulla medicabilis arte,
  Conjugis optatos claudere nata dies.
Senserat haec, Medici quamquam sperare jubebant,
  Heu nimium certae tela parata necis.
Meque fere exanimum solitis complexa lacertis
  Edidit haec tristi tristia verba sono:
» O mihi luminibus, caeca jam morte gravatis,
  » O conjux vita semper amate magis!
» Fata vocant, nec te spes vana, miserrime, ludat;
  » Vis leti medicam ferrea spernit opem.
» Vixi, dum licuit, felix tibi nupta marito,
  » Et vidit laetos nostra juventa dies.

» Te propter comites, fratremque, piosque p
» Et potui patriae linquere dulce solum.
» Nec mihi tantus amor fuit unquam causa p
» Haud cuiquam melius quippe locandus erat.
» Tecum speravi jucundam ducere vitam,
» Communem et laeta prole beare domum.
» Hoc mihi castus amor, quo me complexus amantes
» Hoc mihi spondebat non temerata fides.
» Nunc me vernanti rapiet mors flore juventae,
» Exuviasque meas non mea condet humus.
» Quo poteris tantos animo perferre labores,
» Et desolatae fata videre domus?
» Hei mihi, quam vereor (nullum sit in omine pondus)
» Succumbat nimiis ne tua vita malis.
» Vive tamen (sic Fata velint) patriaeque tuisque,
» Haec tua te conjux jam moribunda rogo.
» Illa dies veniet, qua nos coelestibus oris
» Junget in aeternum non soluëndus amor.
» Hoc casus solare tuos, tristemque juventam,
» Nec lubeat magnum laedere voce Deum.
» Si tamen in terris pietas sua praemia novit,
» Excipient praesens tempora laeta malum.
» Jamque habeas suprema tibi morientis ab ore
» Oscula, et o longum, qua potes usque, vale!"

Si

Sic ait, et tremulos moribunda inclinat ocellos,
  At mihi, si quis erat, corpore sensus abit.
Ut raptum gelidis in vultibus oscula fixi,
  Anxia mens solos suasit adire locos.
Quid mihi tunc animi fuerit, ne quaere, neque illud
  Eloquii vires promere posse puta.
Sentiat hoc quicumque pares deflevit amores,
  Et nostris lacrymas misceat ille pias.
I nunc, atque ultra rebus confide caducis,
  Si quis adhuc fausta sorte beatus ovas.
Qui modo vel regum poteram contemnere luxum,
  Rebar et humanis altior esse malis,
Nunc vellem aut nunquam coeli venisse sub auras,
  Aut animam hanc matris deposuisse sinu.
Vana precor: tristem restat mihi ducere vitam,
  Donec ego has lacrymas in mea busta feram.
Multa quidem, at frustra, dulces solantur amici,
  (Haec habeat pietas praemia digna precor)
Atque aliquis: » vanis (ait) indulgere querelis
  » Desine, non questus fata precesve movent.
» Quin potius frontem juvet explicuisse severam,
  » Nec jam ad consuetos sperne redire jocos".
Nempe ego ficta feram simulato gaudia vultu,
  Dum nostra aeternum gaudia terra tegit?

Ipse queam clara versari in luce meorum,
  Extinxit lucem dum Libitina meam?
Non ita: sed solus, rapta ceu conjuge turtur,
  Dilectis gemitus Manibus usque feram.
Est mihi, vicinae strepitu sejunctus ab urbis,
  Hortulus aligero grata latebra choro.
Huc, simulac solitum licuit finire laborem,
  Me curasque meas, sole cadente, fero:
Innumerae volucres dum cantibus aëra mulcent,
  Et ridet cultu terra superba suo.
Mens mea, praeteritae referens felicia vitae,
  Naturae turbat languida delicias.
Gaudiaque, heú frustra! dum non reditura requirit,
  Vix patitur tardas nectere Fata moras.
Vox eritis nobis, herbae, vos, gramina, testes,
  O toties nostris humida de lacrymis!
Vos etiam domini credo sentire dolores,
  Nec dubias luctus prodere velle notas.
Nempe ferunt herbas, et quae fert gramina tellus,
  Nosse etiam casti gaudia conjugii.
Quidquid id est, nuper, ceu nostri conscia luctus,
  Vidi ego vos pronum flectere molle caput.
Dî facite, haec maneat lacrymis gratissima sedes,
  Dum miseros aderit claudere Parca dies!

Tu

Tu vero, dilecte, vale, tibi mollior aura
  Spiret ab aetheriis usque, Richée, locis!
Et miserum forsan quae consolentur amicum,
  Rescribas elegis paucula verba meis.

1781. H. BOSSCHA.



AD

RICHEUM VAN OMMEREN,

DE REDITU VERIS.

Ecquid agam; reducis capiam quî munera veris,
 Absentis socii quaeris, amice, memor.
Exigis officium, quod si nec amicus amicum
 Posceret, ipse tamen sponte obiisse velim:
Sic mihi nam tecum, quamvis absente, licebit
 Partiri dubiae sortis utramque vicem.
Jam mihi, jam videor, caro comitante Richeo,
 Laeta per errantes gramina ferre pedes.
Sensibus ac totis, curarum mole solutus,
 Naturae donis, vere favente, frui;
Aut, ubi praeteritae subeunt tot gaudia vitae,
 Solamen madidis te rogitare genis,
Inque sinu cari lacrymas rorare sodalis,
 Et sortem alloquio discere ferre tuo;

Sed

Sed me quo dulcis rapit ipso in limine fervor?
  En desideriis apta theatra tuis:
Jam dudum strepitus, turbas fastidit et urbis,
  Otiaque exoptat mens meliora sequi.
Nam licet ancipiti luctetur Patria fato,
  Et vix Libertas efferat aegra caput;
Non tamen est nostrum sublata reponere jura,
  Vulneraque audaci mille levare manu.
Sat mihi sit Clarias juvenum rude pectus ad artes
  Formasse, et mores edocuisse bonos.
His ubi transacta est studiis pars maxima lucis,
  Venit et a duro grata labore quies,
Moenibus egressus repeto mea gaudia solus,
  Trans Salias hortus quae mihi servat aquas.
Tunc o tunc solitis curarum libera vinclis
  Mens volat, et sparsas libat ubique dapes.
Aligerûm cantu venientem turba salutat,
  Et domino arridet gramen et herba suo.
Quocumque adspicio, Naturae dona benigna
  Certatim cupidis gaudia dant oculis.
Hic cerasus niveas expandit suaviter umbras,
  Gestit et ornatu luxuriare novo.
Illic pomorum flores candentque rubentque,
  Induitur teneras ut nova nupta genas.

Nec

Nec minus, a verno nunc primum rupta calore,
  Ipsa suas tellus aemula fundit opes.
Hic mihi nam asparagi rubicunda cacumina tollunt,
  Illic lactuoae frondea sylva viret.
Singula dum lustro, Te, rerum magne Creator,
  Quo sine nil, toto quod viget orbe, venit,
Te veneror, mentemquc sacro dum tangor ab oestro,
  Dulcius adsueto carmen ab ore fluit.
His ubi deliciis est exsaturata voluptas,
  Adsunt Pierides gaudia ferre nova.
Seu juvat innocuos pastorum discere lusus,
  Cum flueret priscis vita beata viris;
Blanda Siracosii mulcet me fistula vatis,
  Et videor media vivere in Arcadia.
Mellea vel pascunt GESNERI carmina, cedat
  Quîs Latium quidquid docta vel Hellas habet.
Sive renascentis dulcissima veris imago
  In proprio cultu conspicienda placet,
KLEISTIA me ducit per amoenos Musa recessus,
  Et mentem variis detinet illecebris.
Frondosi colles, trepidantis murmura rivi,
  Prataque nativis conspicienda bonis;
Et dulces volucrum cantus, nemorumque susurri,
  Balatusque vagi laeta per arva gregis;

Et

Et miscens casta cum conjuge gaudia turtur,
  Junctaque dilectis oscula in arboribus:
Illa meos rapiunt dum sensus, sculpta Corinthi
  Aera et Apelleae sit procul artis opus.
Tene ego non memorem, Medicorum gloria, et idem
  HALLERE Aonii maxima fama chori?
O quam ignota meum permulcent gaudia pectus;
  Dum lustro Alpinas, te praeëunte, nives!
Tunc ego crediderim priscis celebrata poëtis
  Aurea monticolis currere secla viris.
Tanta viget morum probitas; tam simplice cultu,
  Paupere tam victu vita beata fluit.
Non hic sacra fames auri, non dirus honorum,
  Pernicies populis, corda fatigat amor.
Justitia huc aliis exsul migravit ab oris,
  Tutaque Libertas degit in aede sua.
Paupertas cupidos nunquam disjungit amantes;
  Sedulitas dos est, causaque amoris amor.
Ut juvenis visae flagravit amore puellae,
  Et sensit pariles pectore virgo faces,
Haud mora, conjugium confirmant oscula utrimque,
  Sidera sunt testes, gramen et herba torus.
Luna quatit taedas; Hymenaeum turtur ab ulmo
  Cum socia dulci, vel Philomela canunt,

So-

Solatur seram proles numerosa senectam,
Nec petitur votis mors, nec acerba venit.
His me deliciis intentum lumina Phoebi
Destituunt, noto mersa sub Oceano.
Occidui solis radii caligine mentem,
Dum repetit vitae tristia multa, tegunt.
Tunc subeunt dulces, quos fata tulere, sodales,
Tunc desolatae funera dira domus.
Prosequitur lacrymis natorum et conjugis umbram
Mens pia, sed lacrymis novit habere modum.
Dumque simul recolit regnorum fata priorum,
Et nova de priscis eruta funeribus;
Dum videt hiberno nudatas tempore sylvas
Vere novis iterum luxuriare comis;
Denique dum stabiles occasus solis et ortus,
Et lucem e tenebris usque micare videt;
Paullatim dubio fugiunt de pectore curae,
Spes redit, humanis sola medela malis.
Haec animum ex humili superas attollit in oras,
Qua post fata pios vita beata manet.
Agnosco hic dulces animas, ablataque fatis
Pignera, cum natis te, mea vita, tuis.
Amplexus ruis in nostros, et mutua jungis
Oscula, sed vivo qualia nulla dabas.

Gra-

Grata recognoscis tu mecum gaudia vitae,
Conjugium nobis quae breve multa tulit.
Ipse tibi refero luctus, quîs languit aetas,
Te postquam rapuit funeris hora mihi.
Protinus insolito praecordia tangimur oestro,
Atque in coelestes solvimus ora modos.
Divinas referunt sublimia carmina laudes,
Coelestum his placido concinit ore chorus.
Sed quo Musa ruis temeraria? fingere tanta
Gaudia mens, carmen non memorare valet.
Tu vero, dulces inter pars prima sodales,
Haec habeas Musae munera parva meae.

1783. H. BOSSCHA.



VOTUM

VOTUM

AD APOLLINEM;

PRO TRIBUS FILIOLIS VIRI ERUDITISSIMI

R. VAN OMMEREN.

Patris amor, teneri, pia gloria matris, alumni,
  Nec minus Ommeriae cura dolorque domûs,
Pestiferos tenues maculis variantibus artûs,
  In moesto recubant pondus onusque toro.
Phoebe potens, tibi si qua parens sacravit in aris,
  Suspenditve tuo munera blanda tholo,
Huc, precor, huc adverte tuos, placidissime, vultus,
  Nec pigeat medicas applicuisse manus!
Ipse ego te referam salva cum prole salutem,
  Phoebe, nec immerito restituisse viro:
At teneri, impulsu grati genitoris, alumni
  Accedent castris laus numerusque tuis.

J. G. HARTMAN.

J. G. HARTMAN,

VIRO ERUDITISSIMO

OPTIMEQUE DE SE MERITO

RICHEO VAN OMMEREN

S. D. P.

Te duce Apollineis miles operata sub armis,
Nostra diu meritos modo Musa parabat honores,
Docte vir, incautis sed Delius obstitit ausis.
Namque ego dum moresque tuos, nec pectora torvo
Dira supercilio vanumque inferre timorem
Nata, sed indicio frontis moderata serenae,
Sparsaque Castaliae nec parcis haustibus undae,
Et patriae haesuro bene tacta ruentis amore,
Atque eadem placitis rebusque urgentibus aeque
Recta, nec arbitrium vulgi subitura maligni:

Tum, quae nos privata tibi debere fatemur
Commoda (nec parvi spatium per temporis, at quo
Cynthius ignivomos ter per duodena jugales
Sidera direxit, donec mea tempora nuper
Prodirem sexti decoratus honore triumphi)
Dignis ferre paro numeris, et carmine demens
Immensam seriem meritorum aequare tuorum,
Quorum, ceu latices saliente in fonte perennes,
Plurima scribenti restat pars altera major;
Ecce repentino stant tacti horrore capilli,
Et sedet in toto mihi pectore frigus, opemque
Dextra negat, calamusque, manu labante, lituris
Scripta notat, sensusque adsto deperditus omnes.
Haud aliter stupuit miser Icarus arte paterna,
Vicini stillare Dei quum cera calore
Coepit, et in vacuo pennae volitare solutae:
Hos habuit vultus, cum devius aetheris errans
Per spatium hinc atque hinc flammas tristesque favillas
Vidit Apollineo Phaëton male creditus axi.
Hac animi tandem pulsa caligine, Phoebus
Visus adesse mihi, nec cinctus tempora lauru,
Nec fide conspicuus, sed plena tela pharetra
Curvatosque arcus solum gestamen habebat,
Qualis erat, tunc cum certis Pythona sagittis

Per-

Perdidit, ore minax, tibi quis dedit, improbe, dixit,
Praemia tanti operis, nostris magis apta choreis,
Poscere? jam missurus erat per nostra sagittam
Pectora, dejecto sed supplex lumine vultus
Obstitit et tacito pro me pia Numina movit,
Paulatimque Dei rabiem mitescere vidi;
Debilitaturam, puer, hanc, te, tollere molem
Desine velle, inquit, nostris committe lacertis
Hoc onus, at pueris onus est puerile gerendum.
Dixit, et abscedens tenui se immiscuit aurae.
Protinus ista feras exurere carmina flammas
Jussimus, et duros properavimus hos tibi versus;
Hos memor officii (quoniam ad majora voluntas,
Non vires adsunt) tibi debita munera mitto.
Si quid in his artis superest, aut si qua Camenae
(Quae tamen exigua est) si qua est modo gratia nostrae,
Muneris est vestri; vestrum, precor, accipe munus.



CORRIGENDA.

Pag. 113, pro *Witsiorum* leg. *Wittiorum*.

Reliqua operarum vitia benevolus lector ipse corrigat.



